

Notes du mont Royal



www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES
Google Livres

SPECIMEN POESEOS PERSICÆ,

SIVE

MUHAMMEDIS SCHEMS-EDDINI
NOTIORIS AGNOMINE

H A P H Y Z I

Ghazelæ, sive Odæ sexdecim
ex initio Divani depromptæ, nunc pri-
mum latinitate donatæ, cum meta-

phrasι ligata & soluta, paraphrasι

Biblioth.

item ac notis.

Veraciss.


- - - - carmina non prius

Audita, - - - - -

Virginibus puerisque canto. *Horas.*

VINDOBONÆ,
E TYPOGRAPHEO KALIWODIANO.

MDCCLXXI.





PROOEMIUM.

Veterum Persarum gesta, leges, sacra, consuetudines, clari quique omnis ævi scriptores memoriæ prodidere, sed studia litterarum ac disciplinas reliquas, quibus imbuti animum excoluerint, cuncti silentio præterière, ut adeo dubium prorsus sit, utrum vis illa ingenii, quæ inde a sæculo decimo per totam Persidem tam feliciter in poësin exarsit, insita genti a primordio fuerit, & quasi *άυτοφύης*, an potius ex aliarum nationum confortio enata & adventitia censenda esse videatur.

Herodotus, qui res Persarum a Cyro ad Xerxem usque historiâ suâ complexus est, & quam minutissime pertractavit, vix ulla partes litteris in educatione puerorum tribuit, immo luculenter satis omnem juventutis institutio-

nem his tribus, equitatione scilicet, jaculatione, & veritatis studio exhaustam fuisse asseverat. *)

Xenophon accuratissimus scriptor, eoque fide dignior, quod Cyrum juniores in Persiam sequutus, ejusque amicitia ac familiaritate usus, non accepta tantum ab aliis, sed proprio etiam periculo comperta litteris consignaverit, de institutione liberorum in Persia loquens, & ipse omnem pueritiae disciplinam exercitatione corporis, ac studio pietatis & justitiae circumscribit, nullâ habitâ ratione scientiarum aut amœniorum litterarum.

Attamen politioris humanitatis rudes plane atque expertes non fuisse aliquot scriptorum testimoniis manifestum est; & quidem historiæ, saltem patriæ, studiosos fuisse Persas colligere licet ex iis, quæ Diodorus Siculus de Ctesia **) memorat, quem ideo se sequutum præ cæteris fatetur, quod ille ex membranis Regiis, in quibus Persæ res antiquas jussu legis cujusdam ordine

*) παιδέυσσι τὰς παιδας ἀπὸ πενταέτεος ὑρέάμενος μέχρι ἐποσμέτεος τρία μῆνα, ἵππεύειν, καὶ τυξένειν, καὶ αὐγήσεωια.

Herodot.

**) ὁτος δὲ Πησιν ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν ἐν αἷς οἱ πέρται τὰς παιδιάς πρότεροι κατά τινα νόμον ἔιχον συντεταγμένας, πολυπραγμονῆσαι τὰ καθ' ἕκαστα, ηγουμένον τὴν ἴσοριαν ἐις τὰς ἐλληνας ἐξενεγκεῖν.

Diod. Sicul. Biblioth. I. 2.

*dine descriptas habebant, historiam suam de-
sumiserit.*

Sed nec a Musis & poësi alienos fuisse si-
dem faciunt ea, quæ Strabo *) de puerorum gen-
tis illius educatione refert: *Disciplinarum in-
quit Magistris continentissimis utuntur, qui fa-
bulas ad utilitatem accommodatas contexunt,
& Deorum ac virorum illustrium facta canticis
celebrant; &c.*

In tanta tamen veterum monumentorum egestate, quorum neque hodie ulla uspiam vi-
suntur, nec etiam a priscis memorata reperiuntur, arduum plane atque inconsultum fuerit
definire, quæ, aut quanta ratio recentiorum apud Persas studiorum intercedat cum iis, quæ
apud illos antiquitus vigebant, aut potius
utrum ulla ratione novæ poëseos initia ab anti-
quis arcessenda conseantur. Proinde videndum
adhuc, an saltem illis temporibus, quæ Muham-
medis æstatem proxime præcesserunt, hoc genus
litterarum gentem illam coluisse, indiciis aliqui-
bus constare possit.

Sæculo certe post Christum tertio floruit
celebris Academia Gandisaporæ (Giundisabur)

*) Διδασκάλοις δὲ λόγων τοῖς συθρονεύτοις χρῶ-
ται, ὡς καὶ τὸ μυθῶδες πέρι τὸ συμφέρον ἐπινάγον-
τες πλέκεσθαι, οὐ μέλεις χωρίς οὐ μετ' ὥδης ἔχει φεύγειν
τὴν ἀνδρῶν τῶν ἀρίστων ἀναδιδόντες. Strab. l. 15.

quam urbem Nassreddin & Ulubeig provinciæ Chorasanæ tribuunt, Abulpheda vero ab Assemano citatus Chuzistanæ assignat. De scholæ hujus origine & incunabulis varia & anceps scriptorum est sententia. Abulpharage, qui medio saeculi decimi tertii floruit, auctor est in sua historia Dynastiarum, Urbem & Academiam Gandisaporæ a Sapore Persarum Rege fundatam fuisse, qui pace cum Romanis pacta, filiam Aureliani Cæsaris sibi desponderit, *) & Medicos græcos tuendæ filiæ valetudini a Cæsare adjunctos Gandisaporæ collocaverit, atque ab his primum medicinam Hippocraticam in oriente traditam fuisse.

Quidquid autem sit de origine urbis & scholæ Gandisaporensis, floruisse tamen certum est

*) Narrationem hanc merito suspectam habet Tillemontius, tum ex aliorum scriptorum silentio, tum etiam quod unicam Aureliani filiam Romæ constanter mansisse ex fide historiarum manifestum sit. Labefactat id ipsum ejusdem Abulpharagi Chronicon Syriacum apud Assemanum Tom. 4. cuius hæc sunt verba: *Porro advenerunt cum Valeriano complures periti medici græci, qui medicinam Hippocraticam in Oriente disseminarunt.* Unde patet medicos hos non cum filia Valeriani, sed cum ipso Cæsare in Persiam profectos esse. Verum Historiam Dynastiarum ex hoc ipso Chronico conflatam fuisse obstarunt eruditii, atque adeo pro posteriori & accuratori habendam. Vide de Gandisapora peculiarem dissertat. Henr. Schulzii in Act. Acad. Petropol.

est usque ad annum 1318. uti hoc Canon Concilii ab Aſſemano adductus luculenter probat. Nec obscuris etiam documentis aſſeritur Academiam hanc a viris græcæ medicinæ peritis pri-
mum fundatam fuisse, etſi poſtea a Nestoria-
nis occupatam ab antiquo iſtituto deſciviffe,
& diuinis æque ac humanis litteris tradendis
patuisse certis iudiciis probari poſſit. *)

Enimvero tam in hac, quam etiam in aliis
nonnullis Nestorianorum in Perside ſcholis,
non medicinam tantum, ſed & alia litterarum
& ſcientiarum ſtudia viguisse perhibet idem Aſſemanus Tom. 4. his fere verbis: *Præter ſacra-
rum litterarum ſtudium artes etiam liberales
omnes doceri confueviſſe, grammaticam ſcilicet,
rhetorican, poeticam, dialecticam, arithmeti-
cam, geometriam, musicam, astronomiam, me-
dicinam, aliasque, compertum eſt ex iis, quæ
Ebed Jēſus ſobensis in Catalogo ſcriptorum fyro-
rum refert, ubi traclatus de ſcientiis omnibus
ac præſertim philoſophici & medici reccenſen-
tur. **)*

*) Increſcente ſenſim Christianorum in Persia
numero, aliæ complures ſcholæ fundatae fuerunt:
ut Edeffena, Nisibena, Elamitica ſive Lapethensis,
quæ tamen potiſſimum ſacris litteris addictæ pro-
fanas disciplinas excludebant.

**) Ex hujuſ Lycei alumnis cendi ſunt po-
tiſſimum ii, qui libros ex græca lingua in Aramæam,

Verum hæc pauca & incerta vestigia tanti non sunt, ut iis tuto insistere possimus ad originem poëscos, quæ posterioribus sæculis viguit investigandam; nec temere omnino arguerit aliquis, siue hæc studia veteres Persæ excollerint, siue neglexerint, recentium certe poëmatum ac carminum initia ex aliis, iisque propioribus fontibus fluxisse, quæ quibus fatis, quibusve auctoribus ad Persas devoluta sint, ut luculentius patere possit, non incongruum videtur Persæ ipsius statum ac vicissitudines ab exordio ad hæc usque tempora summatim expedire, & tanquam in tabella oculis subjicere.

Persia, quæ & Achæmenia dicta est veteribus, sub variis Principibus stetit usque ad Cyrum, qui anno primo olympiadis 55, Urbis conditæ 195, Medorum Rege Astyage depulso Regni persici fundamenta locavit, quod Imperium duravit annis 229 sub 13 Regibus. Dario Codomano ab Alexandro devicto Regnum Persarum ad Græcos translatum est. Post Alexandrum Seleucus, unus ex hæredibus, Medianum, Parthos, Bactra suis ditionibus adjecit. Huic successit filius Antiochus Soter, ac post hunc Antiochus Divus, cujus filii Callinicus & Hie-

seu Syriacam, quæ christianis totius orientis communis fuit, verterunt; & sane multæ arabicæ græcorum librorum versiones ex Syriacis potius quam græcis codicibus factæ merito existimantur.

Hierax mutuâ discordiâ Arsaci ad Parthicam potentiam augendam vires dedere. Tum denique sub Parthis stetit Regnum Persiæ, & Parthorum Persarumque nomen promiscue accipi cœpit. Anno Christi 227 Artaxerxes Persa ex-cusso jugo Artabani Parthorum Regis, secundam Persarum Monarchiam instituit, quæ duravit usque ad Jezdegirdum, *) qui anno Hegyræ 15. Christi 636. sub Omero a Saracenis ad Cadesiam cœsus, tandem vero in Urbe Meru a gubernatore proditus & imperfectus est, anno Hegyræ 31. Post hunc Saracenis primum, tum variis Turcarum ac Tartarorum Dynastis paruit Persia. Præcipuæ Dynastiarum fuerunt: Buidum, Gazneviorum, Seljucidum,

a 5

Gau-

*) Notandus est error omnium fere nostratium Scriptorum, qui & arguento esse potest, quam pa-rum tuta sit eorum fides in historia populorum Orientis, utpote qui in re tam perspicua, ac primorum Chalypharum gesta sunt, tam turpiter sint hallucinati. Scribunt autem plerique Jezdegirdum ab Omero, alii ab Othmanno, cœsum, & imperfectum fuisse, idque anno Christi 632. quod utrumque falsum; namque initium regni Jezdegirdi incidit in annum Christi 632. Hegyræ 11. Pugna au-tem Cadesiæ, in qua cœsus & profigatus est, acci-dit anno Hegyræ 15. Christi 636. proditus denique & imperfectus est in Urbe Meru, multis post cladem annis, videlicet Hegyræ 31. non ab Omero, neque etiam ab Othmanno, quorum neuter pugnæ interfuit, verum ab alio Duce exercitus.

Gauridum, Chovaresmiorum, *) Atabekiorum, Ilchaniorum, & Modhaferiorum, quibus ultimis Regnum tenentibus Tamerlanus Persiâ potitus est, Hegyræ anno 789. Post hunc, ejusque successores, regnarunt aliquot Principes factionis arietis nigri usque ad Uzun-Hassanum ex factione arietis albi, sub cuius successoribus inter se dissidentibus misere lacerata Persia ab Ismaele Schah Sofi recreata est, qui, quidquid majores possidebant, dominatu complexus, usque ad initium sæculi 16 regnavit, & a quo Sophi Persiæ initium ducunt. Ex horum numero Schah Abas Regnum Persiæ magnopere auxit ac florentissimum hæredibus suis transmisit, qui continua serie rerum potiti sunt usque ad hanc proximam æratem, qua iterum infelix Persia intestinis bellis divexata conflagravit, & in hanc usque diem, nondum extincto incendio, prostrata jacet.

Summa ergo rerum in Persia mutatio eo potissimum tempore evenisse autumanda est, quo Rege Jezdegirdo vita & throno exuto, Regnum in Saracenorum potestatem redactum est;

*) Hic rursum lapsi sunt plerique, dicentes: in Saracenorum potestate mansisse Persiam usque ad Gelaleddinum, æræ Gelaleæ auctorem, qui illis pulsis rerum potitus sit; cum potius longe ante hunc arabibus erupta fuerit Persia, ac ipse etiam Gelaleddinus ultimus fuerit ex Dynastia Chovaresmiorum, qui Persiam 131. annis tenuerunt.

est; quove mores, ritus, leges, ac Religio omnis, & ipsa denique studia ad normam Arabum sunt instituta; ut proinde libri omnes, qui hodie linguâ persicâ exarati extant, non ante hæc tempora referendi videantur, paucis monumentis exceptis, iisque dubiis, quæ in antiquo idiomate *Pecblevi* *) dicto scripta, & a residuis adhuc Ignicolis servata doctorum nonnulli e tenebris in lucem vocare sunt conati.

Itaque si quis originem poëeos, qualis apud Persas hodiecum viget, penitus indagare voluerit, ad fontes Arabum recurrat, est necesse; qui etsi sermone atque idiomate dispari, iisdem tamen artis metricæ principiis, ac eodem pene gene-

*) *Zebani-pechlevi.* In hoc idiomate existant hodiecum libri aliquot veterum Magorum, ac inter reliquos *Zend*, *Pazend*, & *Abesta* sive *Vosta*, dogmata & præcepta antiquæ Religionis continentes, quos libros Abrahamum a Deo accepisse Gebri seu Ignicolæ testantur. Neque vero censendum est Abrahæ nomine Patriarcham Hebræorum intelligi, sed alium quendam *Zerduscht*, seu *Zerduſt* agnominatum, quem græci, æque ac Latini Zoroastrem nuncupant. Extat in Bibliotheca Regis Galliarum Dictionarium manuscriptum, quod vetusti hujus idiomatis voces recentis Persarum linguae adminiculo explicat, codex eo rarior, quod unicus fere in tota Europa inveniatur. NB. Putant nonnulli memoratos libros de Religione Magorum, ad Chaldaicum proprius quam ad Pechlevium idioma accedere.

genere carminum multis ante sæculis poëticen coluerunt, quive, ut plerumque fieri solet, cum nova religione, ac libris dogmata fidei continentibus novas litteras subiectis Regnis & provinciis intulerunt, uti luculentum apud Persas, qui statim ab initio legis Muhammedanæ antiquos & patrios characteres cum arabicis commutarunt, ac mox studia & disciplinas omnes ad exemplar victoris populi renovarunt. Quare non incongruum fuerit de hac etiam gente aliqua carptum & quasi per transennam commemorare.

Arabes vasto terrarum situ & gazis suis tantum ab antiquis noti, cætera ancipitis famæ, et si ob bella aliquot cum finitimis gesta, & frequentissimum toto orbe emporium aliqua ex parte innotescere potuerint, cæterum in cultâ vastitate divisi, & inaccessi, plerique incertis sedibus, vagi & palantes ut adhuc hodie, liberi quidem, sed usque ad septimum sæculum inglorii vixerunt. Ea tempestate Muhammedes nova sacra, inauditam Religionem molitus, brevi tempore tam longe lateque arma ac superstitionem circumtulit, totque Regnis ac ditionibus per se suosque Successores est potitus, ut ante exactum sæculum Hegyræ, Imperii Arabum fines freto Herculeo, & extremis Indiæ oris terminarentur, fama & terror nominis totum orbem completeret. Sed quod stupendum maxime in tanto virium & potentiae incremento illud

illud est, quod cum Barbari reliqui, qui florentes quasque Provincias invaserunt & victri-
cibus armis debellarunt, cultum & Religionem
devictarum gentium assumpserint, artibus &
studiis ultimum exitium intulerint, hi contra-
dum dogmata & ritus subjugatis populis ob-
trudunt, litteris & scientiis perfugium præ-
buerunt, & pene jam profligatas tota Europa
ac cultissimâ Asiæ parte artes & disciplinas be-
nigno sinu foverunt. *) Memorantur adhuc
hodie a doctis, nec ulla unquam ætas oblitte-
rabit insignia aliquot Principum Saracenorum
nomina, non tam potentia, quam amore in
litteras ac omne genus eruditionis clara, præ-
cipue vero Almansoris, Alraschidi, Almamo-
nis **) &c. quorum tanta fuerunt in bonas
artes

*) Hoc non de primis statim Muhammedis suc-
cessoribus dictum volo, nam illi fanatico novæ
superstitutionis, ut fieri solet, zelo, & ferocitate
quadam ex continuis bellis contracta in Religio-
nem æque ac litteras heterodoxorum sœvierunt;
constat hoc vel maxime ex ignominioso facinore
Omeri, secundi a Muhammede Vicarii, cujus
jussu Alexandrina Serapionis Bibliotheca flammis
cremata est. Sed pacatis subinde ac firmatis Im-
perii rebus tanti opprobrii labem sustulerunt lon-
go ordine Caliphæ ex genere Abassidarum.

**) Eximum plane documentum ardoris, quo
Almamon in litteras flagravit, perhibet regia illa
& omni laude major actio, quam tanto Principi
alicubi adscriptam reperio. Hunc ajunt Leonem

artes earumque cultores merita ac beneficia , ut siquid uspiam residui fuit illorum ævo in toto orbe scientiarum , id totum apud illos solos delituisse jure credatur. Horum virtute , his facem posteris prælucentibus factum , ut compluribus sæculis in oriente æque ac occidente uni pene Arabes scientiarum laude florent , cumque reliquæ Europæ Regiones spississimis ignorantiaæ tenebris ac omnigena barbarie colluvie premerentur , Philosophia , Medicina , Astronomia , Geometria , atque his affiniū in artium studia apud solos Hispaniæ Mauros in honore servarentur. Tantum ergo abest , ut sicut vulgo creditum est , lege & instituto Muhammedicæ Religionis cautum sit , ne illius assecclæ litteris & scientiis operam impendant , ne fors eruditioñis lumine dogmatum caligo discutiat. Imo mirandum sane , quomodo tam brevi spatio , ab Aarone videlicet cognomine Justo , idque in tanto civilium & externorum bellorum tumultu , tantum incrementum cæperint

doctum alias Theſſalonicensium Episcopum , postmodum autem nescio quo iniquo fato summa inopia laborantem & Constantinoli ex vilium & abjectorum hominum institutione stipem corradentem , magnis honorum & opum pollicitationibus ad aulam suam Bagdadum evocasse. Cum vero Imperator græcorum viri hujus , quo uti nesciebat , discessum inhiberet , nec precibus ac sollicitationibus Saraceni Regis locum daret , Almamon Imperatori bellum indixisse fertur.

sint litteræ & scribendi studium, ut jam Saladinus (*Selab-eddino*) Ægyptum expugnante, in Bibliotheca Palatii Fathimitarum centum millia arabicorum voluminum omnigenæ eruditionis sint reperta; ut nihil dicam de Ismaele Ibni-abad, qui multo ante hæc tempora a Rege Persarum ad Aulam invitatus, eo se conferre detrectavit, librorum suorum copiam prætexens, quibus transportandis quadringenti camelii onerandi fuissent.

Enimvero quæ de scientiarum apud gentem illam incunabulis dicta sunt, quæve ad Aaronis proxime tempora relata vidimus, non etiam de sermonis arabici cultura intelligenda sunt, quippe lingua & poësis Arabum, jani ante Muhammedis ætatem ad summum apicem pervenit; patet hoc tam ex contextu Corani, cuius tanta est styli gravitas, ornatus, & elegantia, ut pro norma & archetypo puræ dictiōnis jugiter præponi meruerit, tum vel maxime ex septem illis poëmatibus in templo Meccano, Muhammedis ævo appensis, & *Muâllakat* dictis, *) vel etiam *Mudbabebat* (eo quod charactere aureo in papyro Ægyptia exarata fuerint) quorum

*) Horum poëmatum ultimum a Lebido Ebusikil Beni-Rabiāt scriptum est, qui adhuc Muhammedis tempore vivebat, & idolatriæ addictus erat tunc, cum primum Prophetæ legem publicare cœpisset. Ajunt autem scriptores Arabum Lebidi

quorum pars hodie dum extat, & a peritis omnibus pro venustatis arabicæ exemplari jure habetur. Sed & sic culta jam & adulta arabum dialectus diu in proprio solo conclusa delituit, nec vel vicinis populis uspiam innotuit, donec tandem Muhammede novam legem quaqua versum vietricibus armis firmante, angustis limitibus coarctari designata per immensos terrarum tractus diffusa est, & brevi per totam peninsulam atque Africam propagata ultimo eō progressa est, ut rudi adhuc & illiterato apud nos sēculo

carmina tanto in pretio habita fuisse, ut portae Meccani Templi affigi meruerint, qui honor non nisi summis in arte viris tribuebatur; cumque ex tot lectoribus nemo cum Auctore de palma contendere auderet, accidit, ut caput Corani, cuius titulus *Bacrat*, ejusdem Templi valvis appendetur; cuius primis versiculis perfectis Lebidus attonus dixisse fertur, verba illa ex ore hominis procedere non potuisse sine peculiari Numinis inspiratione, quo dicto fidem Moslemicam est amplexus. Addunt Muhammedem tali proselyto summopere gavisum fuisse, cum acutissimum viri ingenium sibi perspectum haberet; Huic poetae adscribitur distichum, quod jam moribundus protulisse dicitur, & cuius hic fere est sensus:

Rebus in humanis novitatis gratia multa est,

Me miserum! mortis gratia nulla novæ.

Vagiadtu gedid el-meut gairi ledbib &c. Vide Devellet Schah semercandi et Amasi.

sæculo sub Clemente V. Pontifice, Concilii Viennensis decreto studium linguæ arabicæ sit sancitum. Sed nusquam gentium feliori profectu cultæ sunt litteræ & disciplinæ Arabum, quam apud finitos Persas, qui tanto studio & alacritate ad eas condiscendas incubuerunt, ut primis statim temporibus inter præcipuos Corani Commentatores censerentur, interque hos summi Imam Abul-Cassim Zamachscheri, & Nassireddin Abu Said Beidhavi, uterque legum ac dogmatum moslemicorum peritiā clari & insignes. Exinde vero sparsâ jam & disseminatâ per totam Persiam Religione Muhammadana, idioma Arabum tanquam Doctorum lingua in scholis omnibus tradi, & libri illo sermone sive prosa, sive versu exarati evolvi, ac denique in vernaculum idioma converti, & per imitationem novo, patrio tamen stylo efferti cœperunt; atque hæc est vera & genuina Poeseos Persicæ origo, quemadmodum utriusque linguæ poemata inter se comparanti compertum erit.

Jam vero etsi nulla pæne sit totius Persicæ plaga, quæ non unius vel plurium illustrium poetarum natalibus glorietur, cæteris tamen omnibus laudem hanc præripuit provincia Fars vel Pars, id est Persis proprie diæta, a qua jam antiquitus toti Regioni nomen inditum est, quæve hodie non numero tantum, sed etiam præstantiâ vatum ex illa oriundorum præ reli-

quis inclyta habetut. Hujus caput Schirazum,⁷⁾ quod aliqui veterem Persepolin alii Cyropolis esse putant, celeberrima toto Oriente Urbs, & diu sub Atabegiis atque Mudhaferiis totius Regni persici Metropolis, nostris vix nisi vini generosi famâ cognita, multorum atque illustrium ingeniorum ferax fuit, tum vel maxime cum sedes Regum Persiæ fieri digna habita est. Hanc quis non male Persiæ Athenas vocaverit, tuin quod purissima lingua persica, eaque peculiari bus idiotismis ac elegantiis, quas grammatici gentis illius modos Schirazio vocant, luxurians, incolis

⁷⁾ Schirazum non esse urbem admodum antiquam, neque adeo veterem Persepolin, immo jam vigente Muhametismo a Muhamned Ben - Cassem fundatam fuisse, tam ex investigatione urbis, quam ex fide historiarum manifestum est; sed tamen ex ruderibus Persepoleos, quæ Persis Istekhar dicitur, ædificatam, utpote quæ non longe ab ea distet, apud Geographos est receptum. Inio si verum est, quod Jahja in suo Lebi-tarich afferit, antiquam videlicet Persepolin duodecim parasangas (18. leuc. gall.) longam fuisse, hodiernum Schirazum in ejus circuitu comprehensum fuisse credibile est. De hac urbe Poeta quidam Schirazius sic jaætabundus ludit:

Quid Memphis & Damascus, aut quid cætera

Terræ & maris sunt oppida?

Pagi universim si Schirazo conferas,

Quæ sola jure urbs dicitur.

incolis ejus sit nativa, tum etiam quod amoeniorum ac politiorum litterarum domicilium dici mercatur. Plurimi sane sunt, neque facile cnumerandi, eruditionis & eloquentiae laude in oriente clari Scriptores, qui ex hac urbe originem traxerunt, sed inter ceteros notiores, neque nostratis nominetenus ignoti Poetæ Sadi, & Haphyz, quorum ille pluribus jam versionibus Europæ innotuit, hujus vero celebritati versionis difficultas hucusque obstitisse videtur; ut proinde operæ pretium sit hunc etiam ab oblivione vindicare.

Fortunam & fata Haphyzi longo ordine persequi non est praesentis instituti, pauca tantum ad vitam ejus spectantia, eaque potissimum ex ipsiusmet auctoris operibus excerpta memorabo, uberiora datus, si quando affluente otio amplior Divani pars vulganda contigerit.

Muhammed Schems ed-din (nam hoc proprium est Poetæ nomen, etsi notior sit agnomine Haphyzi) *) natus est Schirazi circa ini-

*) Mos est apud Orientales, praesertim apud Muhammedanos, adultis agnominata quædam addere, ad indolem uniuscujusque alludendo; sic Haphyz idem est, quod græcorum Memnon, vel potius *Mnemon*, hoc est: bona memoria praeditus, magna vi memoria pollens. Hinc hodieum, qui totum Coranum memoriter recitare valent, Haphyzi compellantur.

tium saeculi Hegyræ octavi , floruitque præcipue sub Regibus ex stirpe Mudhaferiorum , *) quo tempore Sultani Schah - Schegia hæredes Persiam in quatuor regna , Schirazi videlicet , Kermani , Jezdæ , & Isphahani sunt partiti ; quorum Principum juxta seriem frequens occurrit in scriptis Haphyzi mentio , nec tamen semper laudabilis , prout quisque æquus aut iniquus carminum ejus fuit æstimator . De privato vitæ auctoris genere parum certi constat ; Doctorem tamen & Legis peritum fuisse , adeoque ex ordine eorum , quos *Ulema* vocant . tam ex variis Divani ejus locis , quam ex apposito nomini illius titulo *Scheich* compertum est , quo titulo non nisi sacrarum litterarum interpres , vel cœnobiorum Antistites nuncupantur ; imo etiam non obscure ex scriptis suis argui-

*) Dynastia Mudhaferiorum in Persia duravit circiter 77. annis , ab anno Hegyræ 718. usque 795. sub septem Principibus , qui omnes partim successive , partim insimul regnarunt , hoc fere ordine : Emir Mubarez zedin Muhammed Mudhaffer regnavit ann. 42. Schah Schegia Filius Mudhafferi ann. 25. Schah Mahmud. an. 10. Sultan Ahmed , Schah Mansur , Schah Jahja , denique Zinalabedîn filius Sultani Schah Schegia . Horum ultimi regnarunt solum novem vel decem annis , separatim vel coniunctim in diversis Persiæ Regionibus , donec Tamerlanus Schah-mansuro superato Regnum Mudhaferiorum funditus evertit.

arguitur monasticæ vitæ addictus, atque forte etiam Monasterii alicujus Senior vel Præfectus fuisse, et si hoc non ausim fidenter asserere. Certum tamen est, quod in gymnasio ab Hagi Cavam-üd-dino *) fundato, cuius viri munificentiam & liberalitem aliquoties prædicat, legum & religionis studio primum, tum vero prælectioni & institutioni aliorum aliquandiu vacaverit, ubi & commentarii cujusdam *Tefsiri-Küschaf* dicti loca dubia & obscura glossis suis dilucidavit, ac etiam in opus, quod *Sykiakie* vocatur, notæ ejus marginales hodieum extant. **) Sed si quam laudem meruit jurisprudentiæ & dogmatum fidei peritiæ, longe maiorem profecto consecutus est carminum suorum venustate, quorum fama & celebritas ita repente totam Persiam ac finitima etiam Regna pervasit, ut plerique Reges ac Dynastæ desideriò tantâ viri facundiâ fruendi incensi, omnimodis pollicitationibus Poëtam ad se arcessere

b 3

sint

*) Hagi Cavam-üd-din Hæsan, fuit R̄gis Persarum Sultani Hasan Elchanij summus regni administer (*Vezirius*) & præcipuus Poëtæ nostri Patronus.

**) Vide Sudium ad ghazelam: *Saki benuri bade*, qui & auctor est Haphyzum, magnam partem versuum suorum in hac schola auditoribus suis prælegisse, ab ilisque potissimum post Magistri mortem in Divani ordinem fuisse redactos.

sint conati, alii etiam absentem donis cumula-
verint. Cæterum cum nihil animo suo potius
foret, quam in otio litterarum versari, postha-
bitâ omni Regalis patrociniî cura totum se
poëticæ dicavit, & sive libertatis & quietis stu-
dio, sive aulicæ vitæ fastidio, sive honorum &
divitiarum contemptu, sive denique patrii soli
amore, *) Schirazo se dimoveri passus non est,
nec

*) Quanto amore prosequutus sit Poëta patriam
suam atque imprimis natalem Urbem Schirazi, pa-
tet ex multipli encomio, quod carminibus suis in-
terspersit, præcipue vero ex ghazela Choscha Schi-
raz &c. quæ peculiares Schirazi laudes continet,
quamve sic verto:

*Felix amoenô conspicuum situ
Schirazum! Eoæ grande decus plaga;
Dì te bearunt, Dì te ab omni
Exitio tueantur ævi.
O qui salubres fonte ciens aquas,
Das longa vita tempora florida,
Sic leta decursu perenni
Unda fluat tua Rucnabade.
Seu ue Musella, seu Giaferi tenet
Calcata molli planities pede,
Fragrantis auræ lene flamen
Difficiles procul arcet æfus &c.*

nec toto vitæ tempore quoquam, nisi semel tantum ad Jezdi Regem *) eft profectus, cuius etiam itineris illum subinde piguit, quod ipse sua frustratus similem plane Theocrito, Hieronem Siciliæ Tyrannum adeunti & celebranti sortem nactus sit, quodve indonatus & γυμνῶς ποστίν, ut ille ait, sit reversus; idque eo gravius tulit quod Hormuzi vel Armuziæ Rex, solâ Haphyzi famâ incitatus, ignoto & inviso alias Poëta munus magnificentissimum miserit. Unde in hoc etiam cum Syracusio vate comparandus eft, quod sicut ille toto decimo sexto idyllio Hieroni ingratum animum exprobrat, sic ille pluribus in locis Regi Jezdi illiberalitatem magna cum libertate objicit, ut hic:

b 4

Ar-

Præ reliquis autem commendat, idque frequenter, rivum ac fontem Rucnabadi, & deambulacra Musellæ, quorum amoënitatem decantatis Muhammedis Paradisi deliciis anteponit. Vide hic Gazell. 2. Stroph. 2. ubi pocillatorem alloquens sic dicit:

*Infunde heus! remanens merum,
Non Cælō inveniam floriferos aqua
Rucnabadi ego margines,
Musellæque virens perpetuo nemus.*

*) Vide infra Gazell. 10. *Ma bireftim &c. & notas ad paraphrasim;* hanc enim odam Poëta Jezdum profectus ad amicum suum misit.

*Armaziae Rex, quem nec unquam contigit
Videre, mibi donum dedit;
Jezdi Monarcham vidi & ad Cælum extuli,
Nec sic tamen quidquani dedit.*

Et alibi hoc fere modo.

*At vos beati vivite Oenochoi diu
Epuli ministri Regii,
Æstate vestra sit licet nunquam mibi
Vino repletum poculum, &c.*

Meminit etiam Regis Avisi, *) ut ingratî & immemoris carminum, quibus illum laudaverat, sic enim de eo loquitur in gazela, *Cbosch amed giüj &c.*

*Sultani Avisi servituti me assero,
Et si ille famuli non recordatur sui.*

Longe

*) Sultan Avis, cognomine Ghajas-ud-din, fuit ex stirpe Regum Ilchaniorum, qui etiam Ahmed Beni-Avis vel Veis appellatur. Hic primum beneficus fuit Poëtae, eique multum & diu blanditus est, quo ad aulam suam attraheret. Postea vero, ut fieri solet, intermissione consuetudinis oblivio amicitiae surrepsit.

Longe aliter sentit de Rege Schach - Mansur, qui potentissimus fuit Principum Mudhaferiorum, & cui totam gazelam *Chosrevæ* inscripsit, in qua egregias animi & corporis tanti Regis dotes prædicat & extollit. Nec minoribus laudibus effert clementiam & mansuetudinem Regis sui Schach - Schegia, qui duro ac rigido Matris suæ imperio *) succedens Regnum Persiæ summâ cum lenitate ac animi moderatione administravit, eo enim alludit per jocum dicens:

*Ætate nostrâ, qua pius Rex subditis
Delicta condonat suis ;
Haphyz aperte cantharo semper vacat,
Muſti palam vinum bibt.*

Cæterum nihil suffragante tot Principum benevolentiâ, communem & calamitosam vatum omnium sortem expertus est Haphyz, qui se fortunæ bonis illiberaliter dotatum aliquoties conqueritur, & in gazel. *musulmanan mera.*

b 5

Ple-

*) Dilschad - Chatun mater & tutrix Regis Schach - Schegia, tantâ cum severitate regnum filii sui administravit, ut in leves quasque culpas gravissimis suppliciis animadverteret, atque in vinum bibentes mortis poenam decerneret. Quam poenam Schach - Schegia major annis factus non mitigavit tantum, sed plane sustulit, ac vini usum omnibus indulxit.

*Plerumque egestas dura virtuti est comes,
Fortuna nulli pejor ac mibi fuit.*

Nec obscure etiam inopiae suæ culpam in saeculi sui vitium rejicit, & queritur de indoctorum hominum urbis suæ ignavia & impudentia, qui versificatorum quorumvis nugas & ineptias ingeniosis suis carminibus æquiparare, atque etiam præferre non dubitaverint, hinc per metaphoram poëmata sua auro puro conferens, circumforanorum vero & cyclicorum poëtarum carmina fictitio, sic de suis versibus scipsum alloquitur:

*Aurum hoc reconde ab his Trapezitis Hapbyz!
Qui adulterinos pro bonis nummis babent.*

Cum Monachis & Ascetis suæ religionis multas & graves similitates exercuit, ab hisque invidodente lacessitus, acerbissime se ab eorum contumeliis ultus est, ideo passim in hypocrisim eorum, atque simulatam sanctimoniam invehitur. Ex sexcentis locis unum adducere libet, qui sic habet: *Gazel. Vairan kin gilve &c.*

*Hi, qui ex cathedra voce gestuque effero,
Præcepta virtutis tonant,
Vixdum relicto pulpito factis suis
Dictis fidem adimunt illico.*

Vos

*Vos o periti Jūdices legum! velim
 Solvatis hoc dubium mibi,
 Cur prædicantes sæpe pænitentiam
 Impænitentes ipsi agant?
 Rident profecto hi tanquam aniles fabulas
 Vitæ futuræ dogmata,
 Qui non verentur res Religionis sacras
 Miscere tantâ hypocrisi, &c.*

Matrimonio junctus fuit, & uxorem habuit
 moribus ornatissimam, cum qua amantissime &
 conjunctissime vixit, quamve Angelum sub hu-
 mana specie fuisse ipse contendit in Epicedio,
 quo illi præmaturo fato ereptæ parentavit. Vi-
 de Gazel. An jar kezo &c. ubi inter reliqua
 sic ait:

*Tali beatus conjuge optabam ultimum
 Completere vitæ terminum,
 Sed vota nostris non fuere viribus
 Äquata, me illa dignior
 Migravit, alto inserta cælitum choro,
 Originem unde traxerat &c.*

Cum

Cum Achmet Nāmaco *) firmam & constan-
tem amicitiam coluit, c̄jusque frequenter me-
minit, & in gazel: *Soppi bija* &c. Stroph. ult.

*Cratera vini faucibus aridis
Deposit Haphyz. I Zephyre aliger,
Nostræque testem fer salutem
Plurimam amicitiæ Namaco.*

A Tamerlane etiam benigne ac munifice ex-
ceptus est, quantumvis reprehensus, quod nul-
lam Regis mentionem in carminibus suis fece-
rit, si verum est id, quod ad ghazelæ secundæ
stropham priam adnotavi, quod vide.

Obiit anno Hegyræ 791. juxta Chronicon
Kiatibi Celebi, quo tempore Sultanus Bajazid,
Ildirim agnominatus, id est Fulmen Belli, Tur-
cico Imperio est potitus, quove anno Beha-ud-
din Nacshibendi **) vita functus est. Juxta
vero

*) Ahmet Beni-Ebu-Hasan El-Giami Auctor est
libri *Enis-ül-sabitin*. sive de constantia in adversis.

**) Beha-uddin Muhammed Nacshibendi non
vulgaris famæ scriptor apud Orientales, & auctor
libri, cuius titulus *Macamat* simili plane argumento,
quo synonimus Haririi liber. Hunc scriptorem
confundit Herbelot cum Beha-ü-Hakkedino, qui
est Omer Nacshibendi, cui eundem librum attribuit.

vero Notas ad marginem Sudii proœmii, com-mortuus est Haphyz Teftazano , a) qui sequenti anno 792. e vivis excessit. Sepultus est in oratorio quodam *Musella* dicto, cuius situm ipse toties in carminibus suis laudavit, & cui novus subinde decor accessit impensis Muhammedis Mimâi, præceptoris Sultani Baburi, qui Poëtæ manibus gratus, magniscentissimum inibi monumentum crexit. Poëmata Haphyzi sparsa antea & indigesta colligit atque in Divani b) ordinem redegit Seid Kassim Envari. c).

Restat, ut de Auctoris fide, religione, & moralis vitæ instituto agamus , de quibus tam varium, tamque anceps semper lectorum fuit judicium . ut non defuerint inter ipsos Muhammedanos , qui cum impietatis , & a moslemica fide defectionis reum suspicarentur. d) Et sa-ne

a) Teftazani , vel etiam Tachtazani auctor multorum operum, ac inter reliqua libri, cuius Titulus *Miftab-ul-fikb*, id est clavis ad jurisprudentiam.

b) *Divan* est Corpus poëmatum sive gazelarum per omnes alphabeti arabici litteras decurrentium, ut mox dicetur.

c) Hic idem auctor est libri, cui titulus *Enis-ul-asbikin*.

d) Herbelottus dicit illum ita de Christo servatore aliquoties loqui , ut Christianorum partibus

ne quis simpliciter ad nuda nec ut tralatitia Scriptoris verba respexerit, opinioni huic facile suffragabitur, utpote quibus nihil magis commendetur, quam vetitum, & a lege Muhammedis abhorrens studium vini, voluptatum, & puerilium amorum (sermone tamen obscoenitatis experte, nec pudicas aures magis quam Virgilii Alexis offendente) ut nihil dicam de ipsis Prophetæ, ejusque dogmatum frequenti derisione, ac verborum Corani in ludicrum sensum continua detorsione. *) Sed haec seu apparens, sive etiam manifesta licentia adversari non potuit, quo minus Haphyzi poëmata doctorum, imo religiosissimorum quorumvis manibus

favisce facile credi possit, quod undenam arguerit, non certe assequor, nam etsi Messiaæ ejusque miraculorum non infrequens mentio incidat in scriptis Poëtæ, non alia tamen uspiam occurrit, quam quæ Corano aliisque orthodoxis Muhammedanorum scriptis apprime congruit.

*) Ex innumeris locis unum adducere sufficiat. Vinum effato Muhammedis *Umm-ul-chabais*, id est mater peccatorum dicitur, quod vinolenti ad quævis vitia sint proclives. De hoc apophthegmate ita jocatur Haphyz in Stropha: *An telcbi vesib &c.*

*Ille asper uva subque acidus liquor,
Matrem Prophetes quem scelerum vocat,
Sensum excitat nostro in palato
Virginis osculo amæniorem.*

ribus tererentur, & in ore Moslemorum omnium versarentur; quo factum ut plerique partim admiratione tanti ingenii adducti, partim attonitatem persuasione delusi, profanos carninum sensus ad sublimium ac cœlestium rerum significationem traducere, & in maxime etiam perspicuis poetæ verbis abstrusissimorum arcana-ruim materiem quærere non dubitaverint. Inter hos Achmed Feridun turcicus Metaphrastes, *) per continuam vini & amorum allegoriam ad Divinum amorem alludens, & sermonem ad libitum distorquens, occultos animi auctoris sensus mystice explicare adnititur, & dicta quævis

*) Hujus exemplum sequutus Thomas Hyde, vir cæteroquin doctissimus, primam ghazelam *Ela ja* &c. mystice vertit, multâ verborum farragine, sed nauseabili cacozelia. Vide ejus opera posthu-
ma. Non absimiliter Herbelottus secundam Stro-
pham ghazelæ 2. *Bi-dib Saky* &c. cuius hic est sen-
sus: *O Pocillator infunde, quod residuum est vini, neu*
*speres te in Paradiso reperturum ripam fluminis Rucna-
badi, nec deambulacra Musellæ.* Hoc modo interpre-
tatur: *Donnez moi o celeste Echançon à boir le vin de*
cet amour divin, le plus pur qui se boive à la table des
élus sur le bord du Rucnabad &c dans le jardin de cet
oratoire sacré &c. quod pro specimine hic appono.
Sed de his & similibus versionibus illa Martialis
verba dici possunt:

Turpe est difficiles babere nugas,
Et triflisis labor est inceptiarum.

vis levia ad religiosæ perfectionis apicem conducere arbitratur. Nec proinde mirum videri debet, si corroborata tot virorum suffragio opinione de Vatis sanctitate, titulō *Lisanul-gbaib*, id est linguae mysticæ, condecorari, atque passim *Tergiman-ul-Efrar*, hoc est Interpres arcanorum appellari meruerit.

Non abs re fuerit commemorare casum singularēm, quem in quodam turcico codice adnotatum reperio. Ajunt Poëtā vitā functo aliquandiu disceptatum inter Doctores Muhammadanos, utrum defuncti cadaver in communi credentium coenictorio inhumandum esset, an potius ob non levem hæreseos ex scriptis ejus manantem suspicionem sine sepultura projicendum; cumque Legisperiti omnes variis argumentis fulti in diversas sententias abirent, placuit ad divinationem *Tefa-ül* *) dictam recursere,

*) *Tefa-ül* & *Teful*. Genus ominationis, quæ tam nonnisi in libris publica veneratione dignis peragitur. Hæc eti ridicula & futile consuetudo, tamen etiam apud Romanos obtinuit, uti patet ex fortibus Virgilianis, aliisque hujus generis ἀληθεύματέως, & φαντασμάταις. Imo & febrifugos & alexicacos putarunt nonnulli celebrium poëtarum libros, ut Serenus Sammonicus, Medicus sub Severo & Gordiano non vulgaris, qui sic de Homeri 4to libro Iliadis.

Iliados quartum capiti suppone dolenti.

rere, quæ sit fortuita acus punctione in librum ad hunc usum delectum, & primorum paginae offerentis versuum ad quæsitam rei decisionem applicatione. Hac proinde in ipso Haphyzi Divano peractâ, hi versus se spectantium oculis obtulerunt. *Kadem dirigh medar E'c. ex Kafie ta.*

Abominari corpus Hapbyzi cave,

Atque insepulcrum linquere,

Licet sit alto criminum mersus mari,

Ascendet ad cælum tamen.

Quod cum iterato repetiissent, in hos versus inciderunt. *Her cend garki Kunahem E'c. ex Kafie mim.*

Vixi inquinatus, sed modo felicior

Mercede amoris inter electos fruor.

Quibus verbis se quasi divinitus admonitos rati Doctores, extremum sepulchri honorem vari decreverunt. Hæc ille.

Ego vero, et si quid in tanta opinionum varietate statuendum sit, ambigam, *) non nego
c verum

*) Non est, quod credit aliquis ideo absolvendum esse Haphyzum a tali suspicione, quod incredulitas cum craffâ Muhammedanorum superstitione pugna-

verim tamen partis cuiuslibet sententiae sine
discrimine accedi posse , argumentis utrinque
affatim suppetentibus. Certum enim est, Poë-
tam nonnunquam vini & amoris vocabulis *)
in sublimiori sensu uti, & ad cœlestia alludere,
cum vice versa pluribus in locis nihil communi-

ver-

re videatur ; namque irreligio, quæ sæculum hoc di-
ris omnibus exagitat, jam in ipsis novæ legis initiis
apud Moslemos graffata est, & ut nihil dicam de
Jezido filio Moaviæ, quem ut atheum & impium
execrantur Arabes, satis patere opinor ex his ver-
sibus Poëtae Ahmed Ibni Suleiman El-âmi :

*Incertam oberrant Christiani per viam ,
Moslemi ab omni deviarunt tramite ,
Judæi adefis compares sunt mummias ,
Doctrina plane absurdâ Persarum est Magis ,
Verbō universum hoc in duas partes abit ,
His sacra nulla nec fides , sed sana mens ,
Illi religio multa rationis nibil &c.*

*) Genius ipse & natura gazelæ exigere viden-
tur ut vini & amorum mentio frequens fiat, utque
sub eorum schemaate res qævis aliae involvantur.
Sic etiam nomine puerorum & amatorum personæ
omnis ætatis & sexus intelliguntur , ut apud Ha-
phyzum , aliquando Rex , & Ministri Regis , &
amici grandævi , & uxor ejus sub pueri nomine oc-
sultantur , ut in Epicedio supra citato &c.

verborum significatu majus sapiat, nec nisi per vim & delirantium somnia interpretatione mysticâ explicari valeat. Utrumque in exemplo clarius patebit; sic in gazela *Cwojcb amed Kiul* &c. manifesto sub imagine vini Divinam gratiam intelligere videtur, cum dicit: *Scherabi bi cbunar, &c.*

*Largire Domine tale mibi post bac merum,
Quod non gravet mentem, nec infestet caput.*

Sed paulo post in hac ipsa gazela ita loquitur, ut aperte constet vinum suam primitivam significationem retinere, ut cum dicit: *Bija Scheich &c.*

*Veni ad tabernam Præsul & gusta hoc merum,
Quale baud puto unquam ex fonte Paradisi *)
bibes.*

Similiter & amorum in his carminibus occursum eadem est ratio, nam aliquoties ius ad cælestium rerum cupidinem respici dubium non est, ut in gaz. prima stropha ultima, ubi se ipsum alloquitur, dicens:

c 2

①

*) Hic sermo est de nectarino vino, sive ambrosia Paradise, quæ Arabibus *Kewjer* dicitur, quæve ex fonte aliquo in horto voluptatis sito scaturire & beatorum potus esse traditur. Quare Poëta traditionem hanc apud Muhammedanos receptam hic defendere videtur, et si in stropha praecedenti hanc ipsam potionem expetiisse videatur.

*O Hapbyz animi si requiem petis,
Normam banc assiduo præ oculis babe,
Mundana dic primum valere,
Si quod amas, cupis obtainere.*

Et alibi in gaz. Saki be nuri bade &c.

*Cui sacro pectus calet igne amoris,
Vivet, & nullo morietur ævo,
Hinc mea est semper caritura tristi
Funere vita.*

Et passim alibi. Contra vero in plurimis Divani locis terrenis immorari, nec supra hominem assurgere manifestus est Poëta; & quis non videt de Schirazio aliquo Adolescenti intelligenda esse verba illa Gazelæ 2. Eker an &c.

*Schirazi gracilis puer
Si votis facilem se dederit meis,
Nævo uni in facie dabo
Semercandi opulentam & Bocharæ plagam.*

Nec ad sublimiorem sensum accommodari possunt ea, quæ coenobitam ad usum voluptatum exhortans ait: in gaz. Mei cbah ve Kulfiscban &c.

Mero-

*Mærore tetras linque clausrorum fores,
Festina ad bortos floridos,
Heic vina odoris incubans rosis bibes,
Mollesque ephebos basians.*

Nec ulla quibus Zephyrum alloquitur in gaz.
Choscha Schiraz &c.

*Ab parce nostrum per superos precor
Turbare somnum, dum nova imagine
Me ludit, & cari sodalis
Implicuit roseis lacertis.*

Ex his & similibus locis clare patet non omnia erotica Poëtæ carmina ad Divinum amorem posse traduci, quidquid de illis aliqui interpretes somniaverint. Quid quod cæcum & insanum amorem ipsem aliquoties fatetur, *) ejusque penitidine ducitur, ut in gaz. *Ker men ez bag &c.* in qua sic ait:

*Vino atque amore perdidi vitam miser,
Heu quemnam utrique terminum ponet Deus?*

c 3

Nec

*) Imo palam videtur explodere rerum incorporarum amorem in gaz. *Ker men ez bag &c.* his verbis:

*Asceta sancto deperit amore Angelos,
Mortale pueri corpus urit me mei.*

Nec dolet tantum sed & veniam se obtenturum confidit, & in miseratione Divina fiduciam ponit, ad quam ut peccator plus se juris habere audenter asseverat in gaz. *Gulami nerves Et c.*

*Faceste Juste, nostra Celi est regia,
Lapsis dabuntur dona misericordiae.*

Longus sane sim, si quæcunque pro utraque sententia militant, verba auctoris velim adducere hoc unum monere non prætermittam, credibile esse Poëtam nonnunquam data opera allegoricos & mysticos sensus carminibus suis miscuisse, ut convitiatorum criminationes effugeret, & ut quod aliquando fecit, semper fecisse videri possit.

Addam pro coronide Encomium Haphyzi, quod Sudius turcicus Metaphrastes in prolegomenis ad illius Divanum ita tumido ore tonat: *Haphyzi poëmata, inquit, quæ ob innatam dulcedinem ex fonte vitae manasse credibile est, quæve venustate Virginum Paradisi decorem emulantur, sensum vulgi mirifica suavitate oblectant, & animos Procerum vi & gravitate dicendi exacuant, viris cordatis & perspicacibus ad adyta arcanorum patentem portam recludunt, debilibus & cæcutientibus facem luminosam præludent. Hæc eadem omnium hominum statui & conditioni congrua & idonea proferunt, & ingenii sagacibus grata & utilia*

*lia legenda offerunt, paucis denique verbis sensum amplissimum comprehendunt. Hinc factum ut totum universum amplectentes ghazelæ brevissimo tempore Turcici & Indici Imperii fines peragraverint, earumque cor-exbilarantia verba confessim Arakini *) & Aderbegiani terminos attigerint. Nec unquam Sophorum Doctorumque colloquiis & confabulationibus gratia aut lepos inesse potuit sine horum versuum commemoratione, nec in confessilus Regum decor aut ornatus sine eorum suavi concentu; Quid quod amantium & dolentium gemitus & suspiria ex his odis levamen & medelam consequantur, & comissantium symposia ex hoc opere bilaritatis & festivitatis omnis amplam materiem mutuentur. Ut merito dixisse videatur Poëta quidam persicus:*

*Odarum Hapbyzi delicata suavitas
Nulli Poëtæ contigit mortaliū,
O qui teneris carminum dulcēdine,
Dic ut quiescant Vatis ossa molliter.*

Celebritatem Auctoris hujus labefactare videar versione, nulli adhuc doctorum quod sciam tentata, si primam Ghazelam excipias, quam Franciscus Meninsky conversam suæ grammaticæ inseruit, quæve etiam, ut supra

*) *Arak*, melius *Trak* *Babylonia*, *Chaldæa*, sed *El-yukan* duæ ejus urbes *Basra* & *Cufa*.

monui, ad mentem Feriduni translata in Thomæ Hyde operibus posthumis visitur. *) Forte, nec injuria, temeritatis arguar, quod Poëtam linguæ, genio, figuris loquendi, & ipso genere carminum adeo a latino idiomate absolum latio sermone reddere sim aggressus; Et fatuus sim fane, si sperem hac me versione effecturum, ut quam toto oriente ac imprimis apud conterraneos suos habet famam, apud nostrates etiam adipiscatur. Sed quis non audeat se huic operi accingere, postquam viderit inconcinnam Sadii a Gentio parametaphrasim, & mirum quantum a prototypo degenerem, tam indulgenter fuisse receptam, ut insuper qualemcumque de exotico scriptore notionem grata Europa Interpreti acceptam retulerit. Ea quippe est ætatis nostræ, non ut olim incuriosæ, noscendi cupiditas, ut remotissimarum etiam regionum ac gentium indolem, mores, & studia diligentissime rimari non de-

*) Dum hæc scriberem, venit mihi Londino litera Nobilis & Eruditæ Viri Gulielmi Jonesii, quæ nunciat se versionem historiæ persicæ Scach-Nadiri, iussu Regis Daniæ inchoatam ad exitum perduxisse, & ad calcem operis Diatriben de poësi Orientalium, exemplis ex complurium Poëtarum operibus petitis adornatam adjecisse, atque unam alteramve Haphyzi ghazelam gallico idiomate expressisse. Quo ingenii sui partu etsi potiri mihi nondum licuerit, pro comperta tamen Auctoris doctrina & linguarum orientalium peritia omnibus numeris absolutum esse confidenter auguror.

detrectet, quæ cum nusquam magis manifesta sint, quam ex scriptis poëticis, utpote quæ typum & characterem ingeniorum quarumvis nationum præferant, ideo me sæculi mei genio famulari sum arbitratus, si poëmatia aliquot persicorum Poëtarum Coryphæ idiomate nulli doctorum ignoto efferre, & usui Eruditorum persicæ dialecti ignororum accommodare adlaboraverim.

Veneres, & gratias, quas carmina Haphyzi spirant, sentient illi tantum, quibus aliqua sermonis persici facultas contigerit. Sed ii demum omne punctum ferent, & versuum vim & elegantiam optime asequentur, quibus præter linguam mores & indoles gentis perspecta fuerint, nam id apprime reor esse utile ad quorumvis poëtarum intelligentiam, ut non ad verba tantum, sed & a quo, & quo loco, quo tempore, quæ occasione dicta sint, respiciantur. Cæterum hoc etiam monendum esse duxi, ne quis meritum auctoris ex versione hac metiat, quod longe magis incongruum foret, quam si de græcorum poësi ex latinis versionibus judicium ferret, eo quod phrasis & elocutio persica multo amplius quam græca a lingua latina dissideat. Et quidem quod ad solutam carminum interpretationem attinet, dubium non est, quin si quodcunque poëma omnibus ornamentis exuas, eique metrum, numeros, epitheta, & illam musicam vocum harmoniam adimas prosa quavis inficietius fore, quia tunc nec ligatae, neque solutæ orationis leges sequuntur. Ideo ne plane omni metro destituta tor-

peat versio, versus Haphyzi lyricis latinorum modis reddere tentavi, et si probe conscient fuerim difficultatum, quæ hujusmodi conatum consequuntur. Licet enim præ omnibus latinorum & græcorum carminum generibus cum odis Anacreonticis atque Horatianis maximam similitudinem habeant poëmata hæc persica, quod sicut in illis, sic in his vini, voluptatum, amorum, gravissimis verborum ac sententiarum floribus interspersorum continua mentio occurrat, Ghazelæ *) tamen natura ita comparata est, ut vix unquam duæ ejusdem ghazelæ strophæ eundem ac continuatum sensum continere deprehendantur, ac omni prorsus ἀλληλεγγίᾳ destituantur, quod nemo non videt a latina poësi abhorrere.

Si quis studio linguæ persicæ poëmata hæc evolverit, is neglecta metrica versione ad solutam, atque ad paraphrasim & notas recurrat, est necesse, neve prius quidquam de integritate interpretationis decernat, quam omnes ejus partes perlustraverit. In ligata certe metaphrasi nullus æquus rerum æstimator summam accurationem requiret, in soluta autem si quando a vulgari ac recepto sensu recessimus, discrepantiam nostram rationibus fulcire adnixi sumus.

DE

*) Ghazela species est poëmatum, quæ inter vinum & epulas nata & deducta concipiuntur, cum videlicet Poëta mentem mero percitus veluti Entheus aut Lymphaticus juxta assumptam primæ Strophæ catalexim per integrum odam sine ordine cogitationum decurrat.

DE DIVANO & GHAZELA.

Persæ, uti jam dictum, cum reliquis disciplinis poësin etiam ab Arabibus acceperunt, unde iidem sunt utrisque artis docendæ termini, sive poëtica, quæ peculiari nomine *līmī-ārūz* nuncupatur; proinde quæ de arte metrica Arabum tradi consueverunt, de Persarum quoque poëtica dicta intelliguntur.

Versus Arabum constat pedibus, modo numeroque definitis, & in hoc cum antiqua græcorum ac Latinorum poësi convenit, & enerve atque ἀνάρρητον recentiorum linguarum metrum antecellit; sunt quippe Arabibus, cum iisque Persis vocales non positione tantum, sed naturâ longæ atque breves, quas facile est diagnoscere, cum vocales *Elif*, *vau*, *ia* quotiescunque scriptæ occurront, pro longis sint habendæ, secus vero breves sint, nec nisi positione produci possint, salva tamen regularum exceptione. Præter pedes, numerum & quantitatem syllabarum, gaudent etiam Isocatalexi, sive consonantiâ, quam aliqui præpostere rhythmum vocant, cum revera rhythmus græcæ æque ac latinæ poësi apprime conveniat, vocum autem similiter desinentium affectatio ab utraque abhorreat. Commune magis hoc illis cum recentium carminibus, quorum sola fere isocatalexis, cum aliquali syllabarum numero totam pene artem metricam constituit; nec mirum pro-

proinde si Arabum & Persarum versificatio difficultate antiquam & recentem supereret, cum pedibus, numero, & quantitate syllabarum illius leges sequi debeat, insuper vero vocum similiter desinentium vinculo hujus regulis adstringatur. Adde, quod haec ipsa isocatalexis in poëli orientalium longe magis ardua sit, quam in nostra, cum ad eam complurium syllabarum consonantia requiratur, quarum numerus nonnunquam usque ad quinque syllabas excurrit. Auget adhuc difficultatem, quod in nonnullis carminum generibus, ut in Cassida & Ghazela, quæ plurimis versibus constare possunt, una eademque constanter esse debeat catalexis, nec ut apud nos quovis disticho varietur. Verum quidem est, quod & Olearius observavit, accidere nonnunquam, ut verba integra ad finem repetantur, in quo etiam miram pangendorum carminum facilitatem deprehendere sibi visus est, sed ille non satis advertit hanc repetitionem difficultatem neutiquam tollere, cum verba illa præcedentes syllabas etiam similiter de finere sit necesse.

Quemadmodum autem in numero & quantitate cum græca & latina congruit Arabum ars metrica, sic etiam summa pedum ac carminum varietate illi æquiparari potest. De omnibus carminum generibus dicere longum foret & a proposito alienum, pauca tantum e re nata de Cassida atque Ghazela, quæ præcipuæ sunt poëeos

seos orientalium species, expediam. Qui uberiorum hac in re notitiam consequi voluerit, adeat Vahidii celebris Poëtæ persici artem poëticam, vel ex illo fonte petitas nostratum grammaticorum institutiones.

Ghazela est genus carminis amatorii, variis imaginum & sententiarum floribus interspersum, quod etsi nulli græcorum aut latinorum poëmati ad amissim comparari valeat, ad oden tamen Anacreonticam quam proxime accedit, *) idque non tam metri, quam argumenti similitudine. Cum Cassida, quæ pro Arابum Elegia haberi potest, in aliquibus convenit, in aliis rursum discrepat; convenit in genere & metro carminum, nam utraque easdem versuum species admittit, & easdem prosodiæ leges sequitur. Commune præterea ambobus ut primum quodque distichum eandem habeat catalexin, deinde ut alterni tantum versus ad normam primorum similiter desinant, nullâ habitâ ratione mediorum, qui solum hemistichiorum vice funguntur. Primi versus terminatio vocatur *Æruz* oblatio, secundi *Zerb*, redditio.

Discrepat in eo, quod Cassida illimitatè distichorum (*beit*) numero excurrere possit,
Gha-

*) Meninski Italico poëmatio, Sonetto dicto, illud sequiparat, ex eo quod ut in illo sic in hoc ultimum distichum singulare aliquod acumen continere debeat, quod mihi non videtur.

Ghazela contra nec paucioribus quam quaque, nec pluribus quam tredecim distichis constare debeat, et si non raro optimorum Poëtarum exemplo legi huic derogetur.

Secundo: Cassida eundem & continuatum argumenti sensum ad finem usque perducit, & cohærenter disticha distichis adæquat, nec facile ab assumpto semel themate digreditur, cum contra Ghazelæ natura ita sit comparata, ut bini quique versus sensum integrum claudant, & vix unquam ad præcedentes vel subsequentes respiciant, imo plerumque toto coelo diversam, & cum præmissis incohærentem sententiam ordiantur. Hanc inordinatam & incomposite cogitationum congeriem ex eo profectam fuisse credibile est, quod cum genus hoc poëmatum ab origine inter vinum & symposia enatum judicetur, mens Poëtæ tanquam vino exæstuans, vel furore percita oblatam repente quamvis imaginem arripere, eaque dimissâ ad aliam atque aliam nullo ordine discurrere concipiatur. Hæc ipsa peculiaris Ghazelæ indeoles obstare videtur, quominus adæquate latino carmine efferti possit, cum omne genus latiæ poëseos hujuscemodi intemperantiam aversetur.

Proprium etiam est Ghazelæ, ut in ultimo disticho quod *Schabi-beit*, sive Regis distichum vocatur, Poëta nominatim ille psum compellet, & alloquatur, in qua allocutione singulare acu-

acumen requiritur. Non raro etiam versus ultimi Poëtæ ipsius laudes , easque immoderatas continent, quas sibi quisque ad libitum tribuit; hæc audacia apud gentes illas usu est recepta, nec cuiquam dedecori habetur, quemadmodum & a græcis latinisque Poëtis factitatum fuisse constat, & crebrius ab Horatio , qui hanc suam proterviam excusaturus dicit :

Quæfitam meritis sume superbiam.

Et sane licet ætate nostra nullus harum regionum poëta citra insignem arrogantiam atque impudentiam laudes suas decantare ausit, quod ea res moribus & indoli temporum adversetur , tamen superiori adhuc sæculo apud nostrates etiam fieri impune licuit, sic enim de se Franciscus Malherbe :

*Les ouvrages communs durent quelques années
Ce que Malherbe écrit dure éternellement.*

Ghazelæ multæ numero , & variæ terminatione Divanum constituunt, ad hoc autem requiritur ut non multæ tantum sint & variæ terminationis, sed ut aliquæ earum in singulas alphabeti arabici litteras definant, quo facto in Divanum ordine alphabeticō inferuntur ; quod raro fit auctore adhuc superstite , quandiu spes aliqua subesse potest novi incrementi. Carmina Haphyzi in unum volumen seu Divanum collecta Ghazelæ 569 circiter comprehendunt variis temporibus compositas , etsi arduum sit earum numerarum accurate definire ob summam omnium Codicūm discrepantium.

Fuit

XLVIII DE DIVANO & GHAZELA.

Fuit & alter Poëta hujus nominis in Persia regnante Sultano Schach-Ruch, filio Tamerlani, qui ad discrimen alterius Halvagi (pemmatopola) agnominatur. Item alter Agen-el-Ruui dictus, auctor libri cuius titulus *Ergia-ül-ylm*. Denique Haphyz Tebrizi, & alio nomine Tarakci, cuius illa ghazela esse creditur a Sudio, cuius initium: *Lutfi basbed ker ne puscbi &c.* quæ à plerisque nostro poetæ adscribitur.

Haphyz Schirazius complures interpretes naetus est apud Turcas; præcipui sunt Ahmed Feridun, qui ghazelas haſce in mystico sensu acceptas explicuit, & de quo jam supra affatim dictum. Sururius item ac Schemius, qui Scho-liis grammaticis & criticis textum auctoris adornarunt, & variis etiam conjecturis suspectas, & Moslemorum opinionibus adversantes sententias ad orthodoxiam revocare sunt conati. Sed palmam omnibus præripuit Sudius, scho-listarum gentis illius facile princeps, qui non hunc tantum, sed præcipuos quosque persicos Poëtas notis doctissimis illustravit quive Schemium & Sururium acerrime ubivis impugnat, nonnunquam tamen æmulationis potius quam veritatis studio. Hic posthabitis omnibus de sublimi & abstruso carminum sensu somniis, nihil aliud pensi habuit, quam ut nudam & omnis ænigmatis expertem auctoris phrasin verbis dilucidis explicaret, ideo & mihi præplacuit, loca dubia & obscura ad illius mentem explanare.

INI-

INITIUM
DIVANI HAPHYZI
CONTINENS
GHAZELAS SIVE ODAS
OMNES QUÆ LITTERA
ELIF TERMINANTUR.

الغزل الاول

بِاللَّهِ يَا أَيُّهَا السَّاقِي ادْرِكَاساً وَ نَاوِلْهَا

که عشق اسان نمود اول ولی افتاد مشکلها

پیوی نافه کاخ رصبا ز آن طره بکشاید

زتاب جعد مشکینش چه خون افتاد بزد لهم

بھی سجاده رنگین کن کرت پیر مغان کوید

که سالم بی خبر نبود زراهور سم منزلها

هر ادر منزل جانان چه جای عیش چون هردم

جرس فرباد میدارد که بر بند ید میخواهد

شب تاریک و بیم هوج و گردابی چنین هایل

کجاذانند حال ما سبکباران ساحلها

نه کارم ز خود کامی ببد نامی کشید آخر

نهان کی ماندان رازی گزو سازند محفلها

حضور

O D E I.

Infunde eja agendum dulce puer merum, &
Circumfer pateram, nam mihi credulo
Qui fronte prima visus insons
Hæret amor jecori molestus.

Moscho imbuta levi cæsaries, quem adhuc
Difflabunt nivea ex fronte Favonii,
Heu quantum odore illo ex amantum
Cordibus elicuit cruentem.

Sacrum purpureo tinge tapetem age
Vino, si vetulus jusserit institor,
Scit cuncta longo usu hic magister
Commoda, remque modumque amoris.

At quæ hæc stultitia est? decrepito seni
Fornosis juvenum quis locus in choris?
Quem semper instans sarcinas jam
Parca monet prope colligendas.

Heu demens tumido quo feror æquore,
Sorbendus picea in nocte voragine,
Num nota degenti quietis
Littoribus mala naufragantum?

Væcors propositum ducere pervicax
Nunc totis recitor fabula compitis,
Convivio quidni latentis
Indicum dedimus furoris.

حضوری کرنی خواهی از وغایب مشو حافظ
متنی ماتلق من تزوی دع الدنیا و اهلها

وله ایضاً

لگران ترک شیرازی بدست ارد دل مارا
بخال هندویش بخشم سمر قند و بخارا را

پده ساقی می باقی که در جنت نخانی یافت
کنار اب رکناباد و کلکشت مصلارا

فغان کین لولیان شوخ شیرینکار شهر آشوب
چنان بر دند صبر از دل که ترکان خوان پغارا

زیش ف ناتمام ما جمال یار مس تغ نیست
باب ورنک و خال و خط چه حاجت روی زیبارا

حدیث از مطرب و می کو و رازد هر کم ترجو
که کس نکشود و نکشايد بجه کمت این معهارا

من

O Haphyz! animi si requiem petis,
Normam hanc assiduo præ oculis habe:

*Mundana dic primum valere,
Si quod amas cupis obtinere.*

ODE II.

Schirazi gracilis puer
Si votis facilem se dederit meis,
Nævo uni in facie dabo
Semercandi opulentam & Bocharæ plagam.

Infunde heus! remanens merum,
Non cœlo inveniam floriferos aquæ
Rucnabadi ego margines,
Musellæque virens perpetuo nemus.

Heu heu! pacem animo meo
Lulî blanditiis quippe procacibus
Sic totam eripiunt, ferox
Prædatas veluti Turca rapit dapes.

Quid nostrâ face languidâ
Augustum pueri contulerim ad decus?
Quid formâ facies nitens
Mendaci roseas fuco eget ad genas?

Cantorem memora & merum,
Sed fati ambiguas quære parum vices,
Quippe ænigmatis istius
Nulla est ingenio aut arte solutio.

۶

ازدیوان حافظ

من از آن حسن روز افزون که یوسف داشت دانستم
که عشق از پرده عصمت بهرون لرز لیخارا

فصیحت کوش کن جانا که از جان دوست دارند
جوانان سعاد تمند پند پیرد افرا

بدم کفتی و خرسندم عفک الله نکو کفتی
جواب تلخ میزید لب لعل شکر خارا

غزل کفتی و در سفتی بیا و خوش بخوان حافظ
که بر نظم تو افشا ند فلک عقد ثرپارا

وله ایضا

رونق غرد شب بست دکر بستاندا را
میرسد مژده کل بلبل خوش الحائرها

ای صبا کربا جوانان چمن بازرسی
خداد هات ما برسان سر و وکل و ریحا نرا
کر

Quid possit vehemens amor
Josephe indicio rem teneo tuo,
Te viso male sauciam
Zelicham domitus deseruit pudor.

Præbe aurem monitis meis
Attentam, o animæ dulce decus meæ?
Nam gaudent juvenes probi
Maturis gravium consiliis senum.

Tu convicia quod mihi
Dicis, do veniam, Di tribuant parem,
Nec succenso, sed reor
Non os verba decere aspera melléum.

Haphyz! quot tibi carmina
Tot gemmæ ambrosio desiliunt labro,
Mulce cantibus æthera, ut
Spargant grata tuis pleiades modis.

ODE III.

Rursus impubis puerascit annus
Enitet pratis viridis juventa,
Jam rosæ carmen querulum canora
Pangit aëdon.

Blande cum primum Zephyre ad novellos
Iveris campos, age fer salutem
Ocymo molli, venerisque flori,
Et Cyparisko.

از دیوان حافظ

کر چهین جلوه کند مغ پیچه باده فروش

خاکروب در میخانه کنم منزکا ذرا

ترسم این قوم که برد رکشان میخندند

در سرکار خرابات گند ایوانرا

بر واژخانه کردون بدر و نان مطلب

کین سیده کاسه در آخر بکشد همما فرا

هر کس اخوابکه آخر بد و مشتی خاکست

کوچه حاجت که بر افلات کشی ایوانرا

ماه کن عانی هن مسند هصران تو شد

کاه انسست که پدرود کنی زند آنرا

در سر زلیف ند انم که چه سود اداری

با زبر هم زده گیسوی هشک افشا ذرا

Nunc mihi si quis calicem ministret
Lubrico aspergū petulans ephebus,
Ebrium duro caput in popinæ
Limine ponam.

Fallor? an qui nos alias madentes
Risit Asceta immodico cachinno,
Merget in fundo cyathi sepultam
Religionem.

Quid tuis cœlum precibus fatigas?
Et brevis speras alimenta vitæ?
Perfidum cunctos perimit dolosæ
Sortis alumnos,

Cum tibi sedis spatiū supremæ
Pulveris bini statuant pugilli,
Quid tuas altis malesanus æquas
Nubibus ædes.

O meus Joseph! tibi nunc paratum
Præbet Ægypti solium meum cor,
Claustra squalentis properans relinque
Carceris atra,

Nescio an passis humero capillis
Indices quidquam, at vereor nefustum
Ne quod intersit mihi in implicatis
Crinibus omen,

ای که برم گشی از عنبر سارچ و کان
مضطرب حال مکردان من سر کرد انرا

حافظ ام خور و ندی گن و خوش باش ولی
دام تزویر مکن چون دکران قرار انرا

وله ایضاً

صوفی بیا که آینده صاغست جام را
تاب نکری صفائی هی لعل فام را

رآز درون پرده زندان هست پرس
کین حال نیست زاهد علی مقام را

عنقا شکار کس نشود دام باز چین
کاینجا همیشه باد بدست است دام را

در غیش نقد کوش که چون انخوار نهاد
آدم بهشت روضه دارالسلام را

O qui inaurato cilio novellæ
Cynthiæ flavos imitaris arcus,
Ne me inhumanus patiare iniquo
Confici amore.

Dulce quantumvis bibe vinum o Haphyz!
Et voluptates geniumque cura,
Sed eave, ut mos est, vitiare sacri
Verba Corani.

ODE IV.

A ccede jam nunc heus Monache abstinens !
Puroque figens in speculo scyphi
Moesta ora, contemplare fulvo
Quanta bona abdita sint Lyzo.

Arcana fatorum impenetrabili
Obducta velo quære apud ebrios
Vini helluones, nam beatos
Cognitio hæc latet Encratitas.

Longæva Phœnix nullius aucupis
Casses subivit; contrahe retia,
Non hic inanem præter ulla
Inciderit tibi præda ventum.

Gaude paratis; multa scientiæ
Sunt damna vesanæ, & generis parens
Humani, avens noscendi, amoenam
Deseruit fugitivus Eden.

Mundi

از دیوان حافظ

در بزم دور یکدوقدح در گش و برو
یعنی طمع مدار و صال دوام را

ای دل شباب رفت و نچیدی کلی زعیر
پیرانه سر یکن هنری ننک و نام را

حافظ همید جام میست ای صبا برو
وز بنده بنده کنی برسان شیخ جام را

وله ایضاً

دوش از مسجد سوی میخانه آمد پیر ما
چیست یاران طریقت بعد ازین تدبیر ما

با هر پدان روی سوی کعبه چون اریم چون
روی سوی خانه خماردارد پیر ما

در خرابات مغان ما نیز هم منزل شویم
کین چنین رفتیست در روز ازل تقدیر ما
باد

Mundi doloso symposio citus
 Unum alterumve excede bibens scyphum,
 Et quod diu constans voluptas
 Nulla manere queat memento.

Jam ver juventæ præteriit virens,
 Quin tu rosam decerpseris unicam,
 Impende virtuti relicta
 O anime! & bene clade vitam.

Cratera vini faucibus aridjs
 Deposcit Haphyz; I Zephyre aliger,
 Nostræque testem, fer salutem
 Plurimam, amicitia Namaco.

ODE V.

Hac nocte noster a sacrario redux
 Præsul, popinæ se intulit;
 Quam nunc sequemur, contubernales mei!
 Quæso instituti regulam?

Meccana quis jam respicere nostrum queat
 Inter precandum Altaria?
 Quando tabernam vertit obtutum ebrius
 Antistes ad vinariam.

Agedum sequamur Archimandritam senem
 Omnes ad oenopolium,
 Æterna siquidem hanc fati inevitabilis
 Decreta legem sanciunt.

Heu

جاد بر زلف تو آمد شد جهان برم ما سیاه
نیست از سودای زلفت پیش ازین توفیر ما

میغ دل را صید جمعیت بد لام افتاده بود
زلف بکشادی زدست ما باشد نخجیر ما

عقل آگرداند که دل در بند زلفش چون خوشست
عاقلان دیوانه کردند از پی زنجیر ما

روی خوبیت آیتی لزلطف بر ما کشف کرد
زان سبب جزلطف خوبی ذیست در تفسیر ما

با دل سنگینت ایا هیچ در کیرد شبی
آه اتشبار و سوز سینه شبکیر ما

تیر آه ما زکر دون بکذرد حافظ خموش
رحم کن بر جان خود پرهیز کن از تیر ما

وله

Heu me ! ut tuas levis aura disjecit comas
Nox est oborta oculis meis ;
Solum hoc furoris quo feror in has antias
Sum consequutus præmium.

Læti quietos duximus nuper dies,
Vitamque curis liberam,
At tu explicasti cæsariem, & omnis statim
Elapsa est nostro animo quies,

Sentire mens si posset in tuæ comæ
Quæ sit voluptas vinculis,
Vinciri averet quisque sapientum, & tuas
Furens catenas sumeret.

Ex quo ore pulchro lemma mihi de gratia
Unum explicasti differens,
Meæ vicissim inde sinenter paginæ
Spirant amorem & gratias.

Nunquamne fiet, proh nefas ! ut cor tuum
Mollecat igne saxeum,
Quem suscitant gemitus, meique pectoris
Nocturna conflagratio.

Instar sagittarum tua, o Haphyz tace !
Ccelum petunt suspiria,
Placa exacerbatum jam animum, & ultra polos
Talis laceffere abstine.

واه ایضاً

ساقی بنور باده بر افروز جام ما
مطرب بکو که کار جهان شد بکام ما

ما در پیاله عکس رخ یار دیده ایم
ای بی خبر زلذت شرب مدام ما

همستی بچشم شاهد دل بند ما خوشتی
زان رو سپرده آند همستی زنام ما

چند آن بود کرشمه و ناز مهی قد آن
گاید بجلوه سرو صنوبر خرام ما

هر کس نمیرد انکه دلش زنده شد بعشق
ثبتتست بر جریده عالم دوام ما

ترسم که صرفه نبرد روز باز خواست
نان حلال شیخ زب حرام ما

ای

ODE VI.

Ocyus præbe cyathum minister
Igne temeti rutilo coruscum,
Fervidus psallat fidicen, secundant
Di mea vota.

Poculi claro in speculo reflexam
Vidimus pulchræ faciem puellæ,
O ter infaustos quibus est bibendi
Ignota voluptas.

Dulce languentis pueri videre
Ebrios & jam liquidos ocellos,
Hinc puto laxas dedi iners habenas
Ebrietati.

Tamdiu visum mihi fascinabunt
Mollium blandæ juvenum choreæ,
Dum meus plaudens pede delicato
Pusio saltet.

Cui sacro pectus calet igne amoris
Vivet & nullo morietur ævo,
Hinc mea est semper caritura tristi
Funere vita.

Nescio si unquam tumulis resurgent
Mortui, num sit mage profutura
Mucida austeri monachi placenta? an
Vina epulonum?

ازدیوان حافظ

ای باد آگر بکاشن لحباب بکذری
زنهار عرضه ده برجانان پیام ما

کونام ما زیاد بعد چه میبری
خود اید انکه یاد نمیلند زنام ما

دریای لحضر فلک و کشتی هلال
هستند غرق نجت حاجی قولم ما

حافظ زدیده دانه هی فشا ند
باشد که هر رغ و صل کند قصد دام ما

واه ایضاً
صبا بلطف بکوآن غزال رعنارا
که سرپکوه و بیابان توداده هارا

شکر فروش که عمرش دراز باد چرا
تفقدی نکند طوطو شکر خارا

Lenis o quando Zephyre ad virentes
 Hinc amicorum remeabis hortos,
 Nuntium dilecto hilarem memento
 Ferre sodali,

Dic ei quare veteris recusat
 Nomen in mentem revocare amici,
 Cum mihi letho interitura constet
 Nominis umbra.

Ætheris vasti liquidum profundum,
 Quave decurrit regione Phœbe,
 Munere & donis scio liberalis
 Mersa Cavami.

Sparge nonnullas lacrymarum o Haphyz!
 Guttulas, escam, illiciumque amoris,
 Sic tibi actutum volucris petita
 Ad retia tendet.

O D E VII.

Heus illi tenero dic Zephyre hinnulo,
 Amenti similis quod miser illius
 Cœco captus amore
 Erro in montibus aviis.

Dulcis venditor heu! pusio sachari,
 Quem servent superi, cur manet immemor?
 Nec vel pauca diserto
 Dat bellaria Psittaco?

لار دیوان حافظ

غور حسن لجارت مکرند آی کل

که پرسش نکنی عند لیب شید ارا

ند آنم از چه سبب رنگ اشنای نیست

سمی قدر آن سیه جشم ماه سیهارا

جز این قدر نتوان کفت در جمال تو غیب

که وضع تو مهر و فا نیست روی زیبارا

بحسن خلق توان کرد صید اهل نظر

بیند و دام نکیرند مرغ دانارا

بر اسمان چه عجب کرز گفته حافظ

سماع زهره برقص اورد مسیحارا

وله ایضاً

تا جهالت عاشقا نرازد بوصل خود صلا

جان و دل افتاده اند از زلف خالت در دلا

آن

O quæ puniceo flore nites rosa !
Est ne hæc forma tuæ causa superbiæ ?

Flagrantis Philomelæ
Quod nil sollicitet te amor.

Ignoro tereti corpore suavium,
Et nigris oculis dulce tuentium,
Cur tam impervia amori
Sint præcordia virginum ?

Expertem vitii confiteor tuam
Augustam speciem, sed cuperem magis
Formosi decus oris
Demptâ mente volubili.

Incautas volucres retibus & plagis
Venamur ; sed enim pulchra animi indoles,
Virtutesque sagaces
Captivare valent viros.

Quid mirum ! empyreis si tua sedibus
O Haphyz recitent carmina, sique ea,
Lætam aggressa choream,
Psallens subsiliat Venus ?

O D E VIII.

Ex quo vultu hilari nitens,
Fecisti miseris spem bonam amantibus,
Mille hærent animi in tuæ
Captivi laqueis, crispe puer, comæ.

آن چه جان عاشقان ازدست ^۵ مجرت میکشند

کس ندیده درجهان جز کشتکان کردلا

ترك ها کر میکند ندی و مستی جان من

ترك مستوری و زهدت کرد با ید او لا

وقت عیش و موسم شادی و هنکام شراب

پنج روز ایام فرصت راغنیم دان هلا

حافظا کر پای پوس شاه دستت میدهد

یافتی در هر دو عالم رتبت عز و علا

وله ایضاً

سا قیا بر خیزو درده جام را

خاک بر سر کن غم ایام را

باد درده چند ازین باد غرور

خاک بر سر نفس نافرجام را

Quantus sit cupidis dolor
 Arceri procul a luminibus tuis,
 Norunt qui cecidere humi
 In campis sabulosæ exanimes Cuphæ.

Væ! si pulcher amasius
 Totum se dederit luxuriæ & mero,
 Cedet sobrietas mea
 Et casta timidus fronte cadet pudor,

Hæc sunt tempora gaudiis
 Jungenda & veteris deliciis cadi,
 Adde hos quinque dies lucro, &
 Indulge genio dum licet impiger.

Haphyz! si acciderit tibi
 Formosi pedibus figere suavium,
 Tum te mundi utriusque honos,
 Omnisque excipiet gloria sæculi.

O D E IX.

Surge, & refertum da calicem puer!
 Dulci meraco; namque hodie velim
 Omnem hujus ævi adversitatem, &
 Tristitiam sepelire vino.

Obliviosum funde precor merum,
 Formidolosi noxia sæculi
 Est aura, feralique multos
 Tradidit exitio protertos,

سما غرمی بر کلم نه تاز بز
بر کشم این دل ق لرق فام را

گرچه بد نا میست ذذ عاقلان
ماهی خواهیم ننک و نام را

دود آه سینه سوزان من
سوخت این افسردگان خام را

حیرم راز دل اشیدای خود
کس نمی بینم ز خاص و عام را

باد لارام مرا خا طر خوشست
کردم یک پاره برد لارام را

ذنکرد دیگر بسر و اندز چمن
هر که دید ان سرو سیم اند ام را

صبر

Infunde rursum, donec hypocrisi
Contaminatam sacrilegā stolam
Et cærulo foedam colore
Ebrius a scapulis revellam.

Esto beatis & sapientibus
Nostræ actiones dispiceant viris,
Nusquam aucupamur claritatem
Nominis, elogiumque famæ.

Ex igne amoris, qui mea fervidus
Depascitur præcordia, proruens
Fumus perussit belluina
Indomitum indole cœnobitam,

Heu vulnerati cui faciam palam
Secreta cordis non habeo virum,
Nec purpuratos inter omnes,
Nec populi in sequiore cœtu.

Laudo puellam prorsus amabilem,
Astuta quæ me surripuit mihi
Totum repente, omnemque nostro
Sustulit ex animo quietem.

Non jam stupebit coniferas nigri
Campi cupressos attonitus, tui
Cui corporis procera visa est
O gracilis Cyparisse forma.

صبر کن حافظ بسختی روز و شب

قا بیایی منتهای کام را

وله ایدضًا

ما پر فتیم تو دل نخوارمَا

بخت بد تا بکجا می برد ای شخوار ما

فملک او ره به سوکندم میدانی

رشک هی ایدش از صحبت جان پور ما

زنثار هژه چون زلف تو در شر کیرم

قد هی کرتو سلامی بر سازد بر ما

بدعا امده ام هم بدعا دست بر آر

که وفا بانو قرین باد و خدا یاور ما

کر همه خلق جهان بر من و توحیف کنند

بکشد از همه انصاف ستم داور ما

بسربت

Haphyz! malorum molem age sustine,
 Multaque fretus fer patientia,
 Sic fiet ut feliciori
 Ante diem potiare voto.

ODE X.

Scis me profectum, corde scis me saucio
 Amice metitum viam,
 Heu quem meis, adversa fors, erroribus
 Quandove ponet terminum?

Quod me maligna sidus influentiā
 Compellit, urgetque exulem,
 Nostrūmne amicæ forte consuetudinis
 Livore correptum furit?

Quicunque misero gratus optatam mihi
 A te salutem deferet,
 Tingam obsequentes lacrymis viri pedes
 Manantibus præ gaudio.

Nunc vota pro te fundo, tu palmas quoque
 Extolle ad astra supplices,
 Intaminata ut sis precor constans fide, ut
 Utrique sit favens Deus.

Sic tu feroce orbis insani minas
 Ridebis atque injurias,
 Impune nemo nos lacefset, conscientius
 Id improbaturum Deum,

Testor

از دشوان حافظ

بسسرت کرده عالم بسرم تیغ زند

نتوان برد هوای تو برون از سرها

روز باشد که بیاید بسلامت یارم

لی خوش آن روز که اید بسلامت برها

تا زوصف رخ زیبای تو دم زد حافظ

ورق کل خجل است از ورق دفتر ما

وله ایضاً

صلاح کار کجا و من خراب کجا

بین تفاوت ره کز کجا تا بکجا

جه نسبتست برندی صلاح و تقویرا

سماع وعظ کجا نفهه رباب کجا

دلم رصویه بکرفت و خرقه سالوس

کجاست دیر مغان و شراب ناب کجا

بشد

Testor verendum hoc & Diis carum caput!
 Si stringat humanum genus
 Enses cruentos, non amorem unquam tuum
 Divellet hoc a pectore.

Præfagit animus ad futuram olim diem
 Tuo beatam nuntio;
 Tali profecto luce nil nobis reor
 Posse evenire dulcior.

Haphyz! nitentes quamdiu pueri genas
 Tuæ celebrant paginæ,
 Collata semper cum tuis folia puto
 Pudore rubefient rosæ.

O D E XI.

Quantum discrepat efferâ
 Mitis sobrietas a temulentia,
 Quam longe est via diffusa
 Virtutis, vetito a tramite ganeæ.

Quam distant, pia sanctitas,
 Lascivisque jocis mista procacitas,
 Quam dispar sonus auribus
 Argutæ fidis, & tristis homiliae.

Fastidire sacrarium
 Cœpi, & me cilicî jam piget hispidi,
 Heus jucunda popina ubi?
 Purum & puniceum dicite vinum ubi?

Q

بشد که یاد خوشش باد روزگار وصال
خود آن کر شمه کجا رفت و آن عتاب کجا

زروی دوست دل دشمنان چه دریابد
چراغ مرده کجا شمع افتاب کجا

چو کحل بینش ما خاک استان شماست
کجا رویم بفرما ازین جناب کجا

مبین بسیب زندگان که جاه در راهست
کجا هی روی ای دل بدین شتاب کجا

قرار و صبر ز حافظ طمع مدار ای دوست
قرار چیست صبوری کدام و خواب کجا

وله ایضاً

پلازمان سلطان که رساند این دعا را
که بشکر پادشاهی ز نظر مران کدارا
زر قیب

O felix ter & amplius
 Sortis conditio pristina, sed medo
 Tam diversa ; ubi nunc ubi
 Pulchri blanditiæ & jurgia amasii ?

Ecquid pervenit ad malos
 Ex vultu pueri luminis æmulos ?
 Quisnam ellychnia lampadis
 Accendat rutilam solis apud facem ?

Cum collyria luminum
 Nostrorum a pedibus prociduus tuis
 Sit pulvis, jube & impera
 Quo me cunque voles ire, lubens sequar.

Heu defleste oculos cavâ
 A menti scrobe, nam hac fossa latet viâ,
 Quo te præcipitem dare
 Festinas mi anime, aut quo hoc ruis impetu ?

Quid me ultra patientiam,
 Quid constantem animum poscitis ? O boni !
 Cui nec vis neque pristina
 Virtus nec supereft luminibus sopor.

O D E XII.

Quis pervenire has supplices faciet preces
 Usque ad ministros regios ?
 Ne nos egenos arceant injurii
 A principis facie & throno,

Contra

زرقیب دیو سیرت بخدای خون پناهم
مکران شهاب ثاقب مددی کند اسها را

چه قیامت است و قامت که بعاشقان نمودی
دل عاشقان ربودی زکه دانم این بلارا

دل عالمی بسوزی چون عذار بفروزی
تو ازین چه سود داری که نمی‌کنی مدارا

مژه سیاهت ارکرد بخون ما اشارت
زفربی او بیندیش و غلط مکن نکارا

زفریب چشم جادو دل دردمند خون شد
نظری کن ای عزیز که چه کونه کشت هارا

نه شب درین لاهیدم که نسیم صبح کاهی
به پیام اشنایان بنوازد اشنارا

دل

Contra scelesti machinamenta æmuli
Ad Numen accedo meum,
Quidni corusco lumine Arcturus micas
Defendet astrum Helices minus.

Quid iste fert tumultus, aut quid obsecro
Monstrasti amantibus puer?
Mille abstulisti corda te intuentium,
Quæ tantæ origo cædis est?

Roseo rubore cum tuæ flagrant genæ
Nostra ustulas præcordia,
Quid inde credam te lucri capeſſere
Quod uris inclementius?

Si nutu atroci nigricans cilium tuum
Conspirat in meam necem,
Cave o venuste a lumen fallacia
Culpamve noli admittere.

Vide ut tuorum lumen præstigiis
Manat meum cor sanguine,
Heu cerne niſtu ut palpebræ venefico
Meum evocasti spiritum.

Solatur unum hoc nocte pervigilem integrâ,
Laetatque ſpc mentem irritâ,
Quod imminentis ventus auroræ bono
Me recreabit nuntio,

دل درهند حافظ که ز هجرت تست پرخون
چه شود اکر زمانی برسد بوصل مارا

وله ایضاً

دل هیرود ز دستم صاحب دلان خداراً
دردا که راز پنهان خواهد شد اشکاراً

گشته نشست کانیم ای باد شرطه برخیزا
باشد که بازیم دیدار آشنارا

ده روزه هر کرون افسانه است و افسون
ذیکی بجای یاران فرصت شمار یارا

در خلاقه کل و مل خوش خواند دوش بلبل
هات اصبح هیوا یا لیه اشکارا

ان تلخ وش که صوق ام الخمایش خواند
لشهی لنا والحلی من قبلة العذارا

ایدینه

Haphyz ! cruore si tuum pectus tumet
Sodalis ob divertium,
Quid fiet illi si beatum te semel
Irrupta stringet copula.

ODE XIII.

Agro fatiscens corde animus fugit ;
At vos sodales ! mens quibus integra,
Heu heu cavete arcana nequis
Vulget adhuc reticenda amoris.

Nostra in vadosis syrtibus abdita
Navis resedit, spira age ab alterâ
Parte aura ! ut emergens arenâ
Vultum iterum videam sodalis.

Fortuna denos visa favens dies
Præstigiis te fallet ad ultimum,
Tu instantis horæ occasionem
Corripiens, fruere hic amicis.

Grato in recessu vina per & rosas
Hesternâ aëdon nocte canens ait :
Euge euge matutinum alacres
Ferte merum socii bibaces.

Ille asper uvæ subque acidus liquor,
Matrem Prophetes quem *scelerum* vocat,
Sensum excitat nostro in palato
Virginis osculo amoëniorem.

ایینه سکندر جام می است بنگر
تا برتو عرضه دارد لحوال ملک دارا

هنگام تنگستی در عیش کوش و هستی
کین گیهای هستی قارون کند کدارا

اسایش دوگیتی تفسیر این دو حرفست
پادوستان همروت باد شمنان مدارا

در کوی ذیکنامه مارا کذر ندادند
کرتونهی پسندی تغییر کن قضارا

ای صاحب کرامت شکرا ذه سلامت
روزی تفقدی کن درویش بینوازا

خودان پارسی کو بخشندگان عمر زند
ساقی بشارتی ده پیران پارسارا

سرکش

Vitrum lagenæ fatidicum illud est
Invicti Alexandri speculum; inspice hoc,
Cernesque Darii potentis
Principium interitumque regni.

Angusta si te pauperies premit,
Depelle curas lætitiâ & mero,
Hæc vera chemia est quâ egenus
Ditior esse potest Caruno.

Vitam beatam qua ratione agas,
His continetur regula litteris;
Sis comis indulgensque amicis,
Dissimulando age cum malignis.

Me famæ honorem & præmia nominis
Decreta cœli sancta vetant sequi,
Tu si meis factis gravaris,
Inviolabile verte Fatum,

O gratiarum divitiis potens!
Felicitatis fac propriæ memor
Saltem die uno scisciteris
Sortem inopis stipe destituti.

Sermone docti carmina perfico
Vitæ datores sunt pueri; ejus age
Lætum minister nuntium istud
Fer monachis senio gravatis,

سرکش نشوکه چون شمع از عیردت بسوزد
دلبرکه درکف او هومست سنک خارا

حافظ بخود نپوشید این خرقه می الود
ای شیخ پاک دامن معذور دار هارا

وله ایضاً

ای فروع ماه حسن از روی رخشان شما
آب روی خوبی از چاه زندان شما

کی دهد دست این غرض یارب که هدستان شوند
حاطر هجوع هازلف پریشان شما

عزم دیدار تو دارد جان برایب آمد
باز کرد دیدارايد چیست فرمان شما

دل خرابی نمیکند دلدارا اکه کنید
زهار ای دوستان جان من و جان شما
دور

Mansuetus esto, neve recalcitres,
 Ne te gravatus concremet ut facem
 Formosus, in cujus manu atri
 Cera velut silices liquecunt.

Non sponte pollutam immodico mero
 Haphyz lacernam hanc induerat sibi;
 O Präfus incontaminate!
 Da veniam precor inquinato.

ODE XIV.

O sol, & omnis causa fonsque luminis
 Quo Luna fulget æthere,
 Cujus decori nidulantur in scrobe
 Menti venustæ gratiæ.

Quando evenire censeam hæc contraria
 Favente votis Numine,
 Ut cum tuas vaga aura spargit antias,
 Dispersum ego animum colligam.

Ut te videre possit, ad summum mihi
 Ascendit anima inops labrum;
 Nunc tota pendet a tuo arbitrio, jube
 Descendat aut ut exeat.

Labare nimia cor mihi ægritudine
 Sævo referte amasio,
 Cavete amici fors enim eadem vos manet,
 Idemque animus est omnibus.

دور دار از خاک و خون دامن چو برمابکذری
کندرین ره کشته بسیارند قربان شما

کس بدور عارضت طرفی ذبست از عافیت
به که فغروشند هستوری بستان شما

نهخت خواب الود ما بیدار خواهد شد هکر
زانکه زد بردیده لبی روی رخسان شما

با صبا هراه بفرست لازرخت کلدسته
بوکه بوی بشنویم از خاک بستان شما

عمرتان باد و مراد ای ساقیان بزم جم
کرچه جام ما نشد پر می بدوران شما

ای صبا با ساکنان شهر یزد از نمابکو
کای سرحق ناشناسان کوی چوکان شما
کرچه

Attolle limbum vestis o quisquis meæ
Accedis ad limen domus,
Nam victimarum cæde confertâ madens
Foeda est crux hæc semita.

Cui profuit monstrante te nitidas genas
Tutela continentia?
Satius puto ne quispiam coram tuis
Jaçet pudicitiam oculis.

Fortuna quæ nunc somnolenta me aspicit
Fortassis excitabitur,
Perstricta sua cum senserit vultus tui
Sopita radiis lumina.

Præbe ferendas pauculas Favonio
Rosas tuis lectas genis,
Flores liceret saltem odorari mihi
Natos tuis sub gressibus.

At vos beati vivite cenochoi diu
Epuli ministri Regii,
Ætate vestrâ sit licet nunquam meum
Vino repletum poculum.

I nunc & urbis dic Zephyre Jezdi incolis
Quod mente constanti precor;
Ut ingruant mala multa in ingratum caput
Vestri beneficij in vicem.

کرچه دوریم از بساط قرب هفت دور نوست

بنده شاه شمایم و شنا خوان شما

هي سهنه شاه بلند اختر خدا را هشتى

نلا بپوسم هیچو کردون خاک ایوان شما

میکند حافظ دعای بشنو و آمین بکو

روزی ما باد لعل شکر افshan شما

وله ایضاً از حرف م

کل در برو هی در کف و معاشقه بکامست

سلطان جهادم پچنین روز غلامست

کو شمع میارید در این جموع که امشب

در مجلس ما ماه رخ نوست تهامت

در مجلس ما عطر میامیز که جانرا

هر دم ز سر زلف تو خوش بوی هشامست

Licet ego sim a vobis remotus corpore
 Sunt vota mea præsentia,
 Vestri Monarchæ me assero servum libens,
 Vestræque vatem gloriae.

O Rex potentum sidus altum Principum!
 Fac consequi me hanc gratiam,
 Ut cœli ad instar fornicum in Palatio
 Advolvar ad tuos pedes.

Haphyz anhelus fundit ardentes preces,
 Ausculta & amen dic puer,
 Quippe orat ut sit portio sortis suæ
 Hoc melleum & roseum labrum.

Ode extra seriem ex littera mim.

Nunc vernæ capiti sertæ parant rosæ,
 Nunc dextræ cyathum tollo, & amabilis
 Hærens virginis ad latus
 Despicio tumidos Monarchs.

Ex æde hac tremulam tolle puer facem
 Nil tali est opus hoc vespere lumine,
 Resplendens jubar in genis
 Cynthia depositu pueræ.

Miscentem Assyrio balsama aromati
 Arceto procul a limine, sat meæ
 Gratos spargit Amasæ
 Roscida cæsaries odores.

Neu

از دیوان حافظ

از چا شنی قند همکو هیچ وزشکسر
زادر و که هر را بالب شیر دین تو کامست

در مذهب ما باده حلال است ولیکن
بی روی ذلی سروکل اندام حرماست

تا کنج غم در دل و پرانه مقیست
هواره هر آنچ خرابات مقا مست

از ندک چه کوی هر آنام زدنکست
وز نام چه پرسی که هر آنک زدا مست

کوشم همه بر قول قی و نفعه چنکست
چشم همه بر لعل توه کردش جا مست

میخواره و سرکشته و زندیم و نظر باز
ولنکس که چنین ذیست در آین شهر کداست

Neu dona hesperiæ nunc mihi arundinis
 Decanta, neque sit mentio sacchari,
 Dulcis nectaræ meæ
 Stillat ab ore favus puellæ.

Interdicta aliis lege Muhammedis
 Sunt concessa meis vina sodalibus,
 Præsens tu modo Lux mea
 Sustineas removere culpam.

At si te ulla meæ partem animæ rapit
 Sortis perniciës, meque refugeris,
 Cauponæ brevis angulo
 Corde ciens gemitus jacebo.

Quid nomen mihi, quidve illecebras bonæ
 Famæ commemoras? Sollicitant parum
 Me præconia nominis,
 Et strepitus popularis auræ.

Me cantus citharæ, me fidicen juvat
 Solers ad modulos, me pueri labris
 Centum carpere basia,
 Et cyathi numerare gyros.

Lascivus, petulans, ebrius, & procas
 Dicar cui libitum est carpere, nil moror;
 Tu si dissimilem mihi
 Urbe potes reperire tota

با هستسم عیب مکوید که او نیز
پیو سته چو ما در طلب شرب هد آمسن

حافظ منشین بی هی و معشوق زمانی
که ایام کل و یا سمن و عید صیرا منست



Laudabo. Ergo meas indigites cave
Prætori maculas; sunt etiam sua
Illi crede piacula, &
Sæpe mero est solitus madere.

O Haphyz! spatio temporis unico
Intermissa nocent vinum & amasia,
Nunc cum purpureæ rosæ
Auspicio referantur anni.





Haec tenus, sicuti vel meerè necessitate cogente, vel pecuniaribus linguae persicae idiorismis verantibus, verba verbis reddi non potuerunt, & a phrasenos ordine recedendum fuit, textum per æquipollentiam expressimus; deinceps vero utilitatè illorum consulturi, quibus studium persicæ dialecti curæ est, singulis Haphyzè versibus versionem ad verbum fere concinnatam subjiciemus, & obscuritatem ex scilicet vocum nexu necessario enascientem paraphrasi ac notis dilucidabimus.

PARAPHRASIS. 49

GHAZELA I.

لَا يَأْتِيهِ الْسَّاقِي أَدْرِكَاسًا وَنَاوِلَهَا
كَهْ عَشْقَ لَسَانَ نَوْدَ أَوْلَى لِفْتَادَ مَشْهُوكَا

*Eja age o Pocillator! circumfer pateram &
(vinum) propina,
Quia amor primā fronte facilis visus est, sed
(multæ) acciderunt difficultates.*

Paraphrasis. Heus Pocillator! infunde vinum pateræ, & convivis in hoc symposio sedentibus singillatim unicuique propina, tum & mihi porrige, quia amor primā fronte facilis & innocuus visus, ad ultimum gravis & molestus evasit. Etenim, ut observat Scholiares turcicus, si formoso aut formosæ alicui animum addixeris, & amorem ostenderis, primum quidem omnimodis blanditiis & illecebris te allicere conabitur; mox ubi te irretitum senserit, renitendo, fastidiendo, & aspernando graves molestias suscitabit, quas inops amator tolerare non valens, modo ad vinum, modo ad opium, aliasque his similes ἀνωδύνες potiones, tanquam ad amoris antidota confugit, in iisque mali medelam querit. Frequens etiam occurrit apud Lyricos græcos & latinos cœnochoorum compellatio, eorumque ministerii in re simili postulatio, præcipue apud Anacreontem & Horatium, quorum ille:

— — βάλ' οἶνον ὡς πᾶι,
τὴν φυχὴν μὲν κάρωσον, οὐτ
& alibi: ἄγε δὴ φέρ' ημῖν ὡς πᾶι κελέβηη
ὅπως ἄμεσην προπιώ. — —

λυσίφεων quippe est Bacchus, & cadus amara ev
erum eluere efficax. Hinc & præceptor amoris mor
der-

deratum vini usum commendat ad animum a sollicitudinibus eximendum, & refocillandum, dum dicit:

*Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas
Eripiat, si qua est inter utramque nocet.*

Sciendum vero, primum hujus strophæ versum, qui totus arabice est, non esse ipsius Haphyzi, sed ex Jezidi filii Moaviæ poemate *) Babri bezeg dicto desumptum, qui ibi converso hemistichiorum ordine sic legitur:

*Edir Keesen ve navilba ela ja ejub-es-saki
Circumfer pateram, ḡ propina, age eja o
Pocillator.*

Cum autem Jezidus iste pro nefario & impio usurpatore habeatur apud Muhammedanos, tum quod Houssejnum filium Ali dolo interficerit, tum etiam quod carmina Bacchum & Venerem spirantia composuerit, Poëta quidam Shirazensis sic ludit, dicens: *Nocte quadam Haphyzum vidi per somnium, ḡ dixi: O qui incredibili scientiâ & sapientiâ polles, quomodo fieri potuit, ut hunc Jezidi versum tibi adscripseras, cum tibi ipsi verborum vis & copia, ac facundia affatim suppetierit? respondit: an nescis hoc effatum: bona infidelium legitima fieri si a fidelibus capiantur.* Hoc non contentus Poëta Katib Nisharburi sic eum ultro objurgat, dicens:

*) Jezid-ibni-Moavîs, id est Jezidus filius Moavîs, qui cum Houssejino Ali filio de Caliphatu contendens, magnâ clade cunctum affecit in celebri campo Kerbela dicto, ubi cum Houssejino septuaginta socii siti necati sunt, uti in ghazela sa gemales fusius dicetur. Fuit autem Jezidus luxui & voluptatibus si quisquam alios deditissimus, & ad scribendos amatorios versus ingenio misericordissimus, preceps id quæ superfluit illius carmina fatis testantur.

cens: Papæ! quid mysterii in illo Yezidi carmine vidisti
o Haphyz! ut illud tui juris facere non dubitaveris? nam
etsi verum sit bona infidelium legitima esse fidelibus, turpe
tamen est Leonem ex ore canis frustum eripere. *)

بیوی نافه کاخر صبا زآن طره بکشايد
زتاب جعد مشکینش چه خون افتاد در دلها

*Propter odorem unius vesicæ (moschi) quem tandem Zephyrus dissolvet (disperget) ex illis antiis,
Ex nodo cincinni illius fragrantis, quantus sanguis decidit in corda!*

Paraphrasis. Propter odorem unius vesicæ, id est modici moschi, quem nunc dilecti cæsaries exhalat, sed quem tandem Zephyri ex illis fragrantibus antiis dispergent ac difflabunt, proh quantum sanguinis stillavit ex nodo cincinni illius odorati in corda amatorum. Opportune observat Sudius vocabulum *Bui* non odorem tantum, sed etiam spem significare, atque hic etiam in illo sensu accipi nihil vetare, quasi diceret: In spem unius vesicæ moschi, quem ultimo tandem Zephyrus ex illis antiis dispersurus est, quantus sanguis decidit ex nodatis cincinnis

D 2

ejus

*) Resellitur hoc loco a Studio Schæmio alter Poëta hujes Scholiaites, & inscitiae arguitur, dum afferit verbum *nasi* hic pro 2. p. imp. sing. verbi activi *bibo* accipi præstare, ac si dicaret: *tu bibe*, quod & Mevlânæ Gianni testimonio confirmare nititur, sed perperam, cum tam ex sensu, quam ex ipsa constructione pateat significationem habere *propinare*, cum Poëta intentio non sit, ut Poccillator bibat, sed ut ipse bibeando amoris dolorem leniat, nec minus fallitur idem Interpres, dum interpretationem *E/a* ad secundum versum detorquet.

eius in amantum corda; additque cum crisporum crinum nodi non facile explicitur, in iisque solvendis Zephyrus diutius moretur, donec eorum fragrantiam diffundat, anxia expectatione ac desiderio affici amantes, quod ipsum est sanguinem in cor incidere; at vero allusio hæc majorem adhuc claritatem capiet ex iis, quæ sequuntur.

Stropham hancce Sudius peculiari libello complexus & commentatus est, prouti hoc loco ipse defensetur, simulque curiosum ac plenioris explicationis avidum lectorem eo relegat. Quod quidem argumento esse potest, Orientis æque ac Occidentis Scholiaстas suapte naturā verbosos esse ac intemperantes, utpote quos non piguerit ad unam alteram vēteris scriptoris sententiam dilucidandam, farraginem verborum, nulli sano legendam coacervare. Cum tamen scriptum hoc auctoris videre mihi nusquam licuerit, malo illum ab hac injuria vindicare, & moschi historiam naturalem inibi traditam credere, quemadmodum par est conjicere ex iis, quæ inde carptim adducit in hoc scholio; quæ cum nonnihil diversa sint a nostratum Physiologorum de natura & origine odoramenti hujus traditione, sententiam Sudii ad verbum fere transcribam. Nota, inquit, duas esse cervarum species, quarum altera Sephid seu albæ, altera Miskin seu moschata vocantur. Utramque speciem uno disticho complexus est Afaphi perficus poëta, dicens:

Oculus tuus est cerva, sed cerva moschata
Chatai,

Oculus aliorum formosorum in dolore tuo cerva alba.

Ceterum cerva, vel potius caprea moschata reperiuntur in Regionibus Chatai, Chæten (Scythia provincia) Sinarum,

Et Indorum, quarum partium incolaæ eas gregatim pascunt, nam Et carnibus earum vescentes utilitatem capiunt, Et moschum conficientes lucrum percipiunt. Quenammodum vero Turciae Europæ cervi cornua quotannis decidua reparant, sic illæ vesicas moschi quovis anno rejiciunt, imo pastores earum maturitatis tempore approximante, cucurbitas subligantes corpori præcavent, ne pereant. Moschi autem materiam bac ratione progigni in animante scribunt nonnulli, cum videlicet ab homine vel ab alio pecore perterrita excanduerit, vel etiam luxurians Et colludens cum altera incaluerit, astu incitatus sanguis guttatum in vesicam delubitur, quæ cum subinde repleta fuerit Et in molesta, suo pondere decidit. Addunt præterea vesicam & caprea separatam non statim odorem gratum emittere, sed antea miscendam Et preparandam esse odoramenti materiem. Dicunt denique, non omnis herba pabulum idoneum esse ad hanc fragrantem substantiam producendani, sed illi potissimum pascua tulipis Et violis confita convenire, ut eo aliquid idem Asupbi in alio carmine. *) Hæc sunt fere, quæ de apostemate illo sanguineo tradit ex suis atque oribus Sudius, cuius odor inter primas orientalium delicias habetur, atque adeo frequentissima est illius mentio apud illarum regionum poëtas. Patet itaque, subjicit Sudius, sinciput formosi per metaphoram vesicæ comparari, & subsolanum moschi venditori assimilari, utpote qui vesicam illam aperiat; deciduum autem in eorū sanguinem, esse moram, & anxiam exspectationem.

بی سجاده رنگین کن کرت پیر مغان کوید
که سالک بی خبر نبود زراهور سم هنزلها

*) Non absimilis est de hac re sententia Atkyli Bagdadi, in Sudii commentarii margine citata.

*Vino tinge tapetem (precibus dicatum) si tibi
(hoc) caupo suauerit,
Namque viator non ignorat viam modumque
stationum.*

Parapb. Si tibi caupo dixerit: tapetem ad sacra & preces sterni solitum vino tinge & pollue, nihil moratus, dictis ejus pare, & præcepto obsequere, namque expertus & consummatus viator, omnes viæ amoris anfractus, flexus, & latebras atque recessus perspectos & exploratos habet; Id est: quidquid tibi caupo præceperit in amore faciendum, sive id fas sive nefas fuerit, prompte & sine cunctatione exequere; etenim ille legum & consuetudinum amoris apprime peritus Magister est, utpote qui quotidie multos amatores, ac inter hos cordatos quosque & sapientes in taberna sua excipit, cum iisque assidens conversatur, & cujusvis naturam ac indolem sagaciter perspicit, & quid unicuique conveniat, gnaviter exploratum habet, ut proinde summa præceptis ejus obedientia debeatur.

Ut vis & argutia sententiae hujus plenius percipiatur, pauca sunt prænotanda. Et primo quidem sciendum, summam munditiem ac puritatem corporis Religionis lege præscriptam esse Muhammedanis, maxime in iis, quæ sacra, preces, ac cærimoniæ concernunt, atque adeo cautum est omnibus, ne in loco sordido, lutulento, vel fæcibus inquinato precationes peragant; & ditiores quidem si urgente aliquo negotio, vel deambulandi studio in agrum aut sylvam concesserint, tapetem saggiade dictum secum deferendum curant, & incidente precationis hora explicant, & super eo se prosternunt, pauperes vero pallium aut vestimentum quodvis sibi

fibi substernentes precantur. Liquet itaque strata & tapetes hujuscemodi ad sacram supellectilem pertinere; proinde quis non cohorreat Muhammedi affecta ad tantum flagitium, aut quis ferat vino per se illicito, rem adeo sacram ac stromata illa esse censemur, pollui ac conspurcari, nisi qui summæ profanationis reus fieri non reformidet. Sciendum præterea vocabulum *Mugh*, a quo Latinorum *Magus* profluxit, proprium fuisse in veteri Persia nomen sapientum ac sacrorum præsidum, quorum munia & auctoritatem persequi non est hujus loci, hoc unum observare non fuerit a re alienum, quod postquam Ignicolarum cultus & Religio a Muhammedica superstitione eversa & prostrata est, Persæ omnium heterodoxorum sacerdotes hoc nomine compellare cœperunt, & præcipue Christianorum cœnobiorum Antistites, quos græci Archimandritas, nostri petito a Syris vocabulo Abbates nuncupant; est ergo *Piri Mugban Senior Magorum*, id est Monachorum Superior. Mox gliscente odio & contemptu instituti monastici, Tabernarios & Caupones eodem nomine appellarunt, idque per allusionem. Sunt enim cœnopolæ apud orientis populos lenocinio puerorum infames, nec solum gulæ ac vinolentiae, sed etiam præposteræ gentium illarum libidini famulantur, delectis ad hoc ministerium mollibus quibusve & venustis adolescentulis, qui pocillatorum æque ac pathicorum munere funguntur. Vocant autem virilia hæc scorta *Mugh pece* sive *Magorum pullos*, eodem nomine, quo tyrones & novitios monachorum, Christianorum sacræ initiandos compellant, depravata similitudine. Ex his omnibus patet, cur vetuli cauponis consilia & præcepta in amore tanto studio & ardore amplectenda suadeat, utpote qui inter amatores omnis generis & ætatis consenserit.

Innuit autem non obscure Poëta, in negotio amoris nihil intactum, nihil intentatum relinqui oportere, & sacra profanaque omnia violanda, dummodo ad scopum pervenire liceat; *quis enim modus adit amoris?* Quæ quidem sententia, si nude accipiatur, mire audax est medius fidius, ideoque qui pietati auctoris consulere voluerunt, figurate dici ista asseverant, deque observantia Religiosorum superioribus debita intelligi debere arbitrantur.

هرادر منزل جاذان چه جای عیش چون هر دم
حرس فرباد میدارد که بر بند ید ^{محبها}

*Mibi in hospitio formosorum quæ securitas *)
convictus? cum quovis momento
Tintinnabulum vociferetur (edicere videatur)
farcinas colligate (colligite.)*

Paraph. Poëta superiori strophâ per fas & nefas amore potiri constituens, nunc repente quasi resipiens, & in sese descendens, inquit: Sed quid ego demens agito, aut quis mihi locus in contubernio formosorum, siquidem me omni momento temporis campana **) admonet, quod sarcinæ colligendæ sint, quod e vita migrandum sit. Id est, quid mihi capulari ac pene jam acherontico seni confortii esse potest

*) In nonnullis Codicibus pro: *ci emn.* est: *ci giae*, nef omnino male.

**) Elegans plane est hæc metaphora a turbis peregrinationum, quas *Caravanas* vocant, petita; namque illic mos est signo tintinnabuli admonere vias comites, ut sarcinæ colligant, & iumentis imponant, quo omnes simul & semel loco movere & iter aggredi possint.

poteſt cum pueris & puellis teneris, eodem modo,
quo Horatius dicit:

Maturo propior define funeri

Inter Indere Virgines. Hor. l. 3. 15.

Hoc ipsum & Anacreon qui jam grandævus amori-
bus indulgebat, ſibi ipſi objicit:

λέγεται οὐς φυγατης

Αναρχεων τρέπων ει. κ. τ. α.

Et hic quidem eſt ſenſus commođus, & primā fronte patens hujus ſtrophæ; at Sudius longe aliter explicat, cujus hæc ſunt verba: *Mibi in hospitio cum ſecuritate vivere (ſubſiſtere) quomodo fit facile?** quandoquidem omni momento tintinnabulum vel campana conclamat, id eft admonet, vociferans: *sarcinas colligite, colligate, & ad Formosę ſedem ac manſionem maturate proſifici, nunc cum occaſio opportuna ſuppetit.* Addit præterea, campanam hic translate pro præconis aut ſtentoris voce ſumi, cujus offiicio admonentur viatores, ut parati ſint una omnes viæ ſe committere. Notat denique vocem menzil metri neceſſitate poſitam eſſe pro menazil, ſingularem ſcilicet pro plurali, etenim, inquit Sudius, *antequam ad amicum perveniatur, non unum tantum hospitium intrare ſufficit, ſed utique complura ſunt peragranda, ut amans ad amatum conten- dens omnimodas moleſtias & aerumnas experiatur, & poſſeffionis pretium ac mercedem multis laboribus ac longa ſervitute demereatur.*

شب تاریک و دیم موج و کرد ای چنین هایل
کجاد آنند حال ما سبکباران ساحلها

D 5

Nox

*) Putat hic figuram eſſe *Iſlambani inkiari* apud arabes dictam, id eft interrogationem pro negatione, ac fi eft: *facile nou eft.*

*Nox tenebrosa, & metus fluctuum, & gurges, tot ac tanta pericula,
Quomodo sciant statum nostrum, leviter onusti
littoris (incolæ.)*

Paraph. Quid partum inquit tanto ausu, quo me imprudens in amoris pericula conjeci, aut quid sperans cymbam meam æstuoso amoris pelago commisi, jamque nox atra premit oculos, & fluctibus procellosi maris terrore, & prope voragine sum absorbendus, & hæc omnia quin vel minimam quidem notitiam habeat amasius de statu nostro, quid enim sciunt tuni & a curis vacui habitatores littoris de iis, quæ naufragantes in alto mari perpetiuntur. Utitur hic poeta epitheto miræ elegantiæ *selukbar*, quod non nisi græce uno vocabulo efferre valeas, *καραργός*.

Differt hic iterum aliquatenus Sudii interpretatione, quæ continuæ metaphoræ adminiculo sensum tales elicit, videlicet: *Divortii tenetra, & rivalis metus, & perpetua separationis vorago, tantorum periculorum formidinem, quæ nos tenemur, quomodo sciant illi, qui in tranquillo littore conjunctione animorum fruentes metu æmuli, & divortii timore carent.*)

کاره کامی بید نامی کشید آخر
نهان کی ماندان رازی کزو سازند حفلها

Omnès

*) Meninsky sic vertit: quomodo sciant statum nostrum onere levati ac liberi incolæ littoris, seu qui jam ad littus pervenerunt, ibique onera sua deposituerunt.

*Omnis actiones meæ ad arbitrium meum (gestæ) malum nomen pepererunt ad ultimum,
Quomodo occultum maneat secretum illud, ex
quo instituunt conversationes (conventus.)*

Paraph. Quid ergo aliud, inquit, inconsultis & temerariis, ac unice ad nutum & lubidinem meam tendentibus actionibus effeci, nisi quod dedecus & infamiam mihi paraverim, & quod vulgi fabula factus sim, aut quomodo sperare potui tectum occultumque fore amorem, de quo in conventiculis & concionibus confabulationes instituunt? *) sic fere Horatius:

*Heu me per urbem, nam pudet tanti mali,
Fabula quanta fui;
Conviviorum & pœnitet,
In queis amantem & languor & silentium
Arguit & latere
Petitus imo spiritus. Epod. XI.*

Sensem hujus strophæ fusius explicat Sudius, & suis observationibus fulcit his fere verbis: *Omnis actiones atque operationes meæ, ex eo quod voluntatem meam pertinaciter sim sequutus, id est, quod meo commodo ac lubidini obsequens, nutui & voluntati amici famulari neglexerim, convertuntur ac tendunt ad malum nomen, ignominiam videlicet atque opprobrium; verbo, ut aliquis amo-*
rem

*) Juxta effatum Prophetæ: Külli sebejin giavez-el-esneind seba-e, quidquid dorum scientiam exceedit, divulgatum est, & Poeta Hælaly.

*Postridie arcunum Hælaly abditum esse nequit,
Quia in quovis recessu ex eo instituunt sermocinationem.*

rem & benevolentium amati condigne mereatur, fortunas, vitam, & libertatem impendat necesse est, utque summa cum devotione ac reverentia serviat, immo ut domesticis ac familiaribus ejus, atque ipsi etiam cani blandiatur ac morigeretur, juxta hoc proverbium turcicum Isyni aghyriajan Itine gemük atar. Qui dominum honoret, cani ejus os projicit. Hinc versu secundo a vulgaris apophthegmate petito, ait: Quo pacto occultum maneat secretum illud, ex quo conventicula & confabulationes institunt, nimisrum secretum, quod in confessu & concione narratur, quomodo tellum & absconditum maneat?

حضوری کرنی خواهی از و غایب مشو حافظ
هتی مازلائق من تزوی دع الدذیها و اهلها

*Si quietem desideras, illud ne negligas o Haphyz!
Ut pervenias ad amatum valedic mundo &
missum fac eum!*

Paraph. Si pacem & animi tranquillitatem expetis o Haphyz! sententiam hanc sedulo meditare, seu ut Horatii verbis utar, *Præceptum auriculis hoc instillare memento*, quod præceptum sic habet; si remata potiri desideras, mundo valedic & rebus terrenis nuntium dato. Id est: mundanarum rerum curam & sollicitudinem abjice, & mentem in sola amoris contemplatione defige.

Hujus & similium locorum indicio credat aliquis Poëtam sub schemate terreni amoris semper ad Divinum amorem mystice alludere, quod & pluribus visum, mihi tamen non placet, neque vereor asserere, illum id data opera factitasse, ut criminatorum cavillationes subterfugiat, quemadmodum totum

tum Divanum evolventi manifesto compertum erit, in quo pleraque erotica sublimem hanc allegoriam nulla ratione admittunt, uti probe monet Sudius, qui & alios Scholiastas, versus quosque ad cœlestium rerum cupidinem pueriliter & *βιαιως* detorquentes, reprehendit. Secundus hujus strophæ versus, uti & primus primæ, arabico idiomate sunt exarati.

GHAZELA II.

لکران ترک شیرازی بد سنت ارد دل هارا
بخارا هندویش بخشش سمرقند و بخارا

*Si Formofus ille Schirazius in manus sumeret
cor meum (gratum haberet.)*

*Nævo ejus nigricanti donarem Semercandum
& Bocharam.*

Rurapb. Si venustus ille puer Schirazius, id est urbis Schirazi incola, amorem nostrum gratum & acceptum haberet, nævo illius nigricanti quem in facie habet, totas Regiones Semercandi, *) & Bocharæ **) dono darem. Fama est Tamerlanum vitio
ver-

*) Semercand, aliis Samarkand urbs Afisæ ad flumen Sogd, a quo toti Provinciæ nomen, quæve inde veteribus Sogdiana dicta. Ptolemæo & Curtio Maracanda, Straboni Paracanda. Anno 1220. Transoxana caput esse coepit, jam & antiquitus inclita, & Orientalium traditione plane fabulosa originis. Fuit Tamerlani gentium dormitoria sedes & Regia, nec minus gymna-
sio frequentatissimo in oriente percrebuit. Nunc a Tartaris Us-
beghiis incolitur.

**) Bochara five Bochara, Urbs alia Transoxanae Regionis, aliam provinciæ caput priusquam Semercandum a Tartaris ad fa-

vertisse Poëtæ nostro, quod cum complures alios Reges carminibus suis celebraverit, nullam sui mentionem fecerit; cui ut morem gereret, duas p̄cipuas urbes, & quodammodo Regis incunabula hoc disticho memoravit, sed non plane ἐπιμνεῖται; utpote qui utramque non majoris fecerit nævo pueri sui. Quod cum Rex ægre ferens poetam objurgasset, ille hoc dicto indignantem placasse fertur: *Quid, inquit, tibi dona mea detrimenti adferre possunt?* innuens, vaticibus etiam illa, quæ non habent, dare licere.

Commendatio nævorum in pueris & puellis, maxime vero si indici fuerint, ut auctor loquitur, id est atri & nigricantes, frequens admodum est apud Poëtas orientis, & in hoc opere ubivis obvia; etenim gentium illarum judicio nævi in candida cute conspicui non postremam pulchritudinis partem constituant. Quod etsi mirum & invenustum nonnullis videri possit, tamen populis quibusve cultissimis nævos in deliciis fuisse Cicero testatur: *Nobis, qui adolescentulis delectamur, etiam vitia s̄epe jucunda sunt;* *nævus in articulo pueri delectat Alcæum;* at est corporis macula nævus, illi tamen hoc lumen videbatur, l. i. de Nat. Deor. Adde, quod nostrates etiani reminæ talis ornatus illecebrarum consciæ defectum naturæ fictis & adscititiis nævis adminiculentur.

Notan-

stigium eveneretur. Circa Ann. Chr. 1220. cessit in protestatem Genghizhani, cuius posteri subinde regno potiti sunt usque ann. circiter 1370. quo Tamerlanus Husseinum, ultimum ex hac profapia Regno exiit.

NB. Antonius Jenkinson in itinerario suo corrupte Boghar pro Bochara scripsit, quod & errori Thomæ Corneli ansam præbuit, qui in Dictionario suo Geographicō unam eandemque urbem duobus distinctis articulis est complexus, & pro diversis habuit.

Notandum quod Persæ formosos pueros (Türk) id est turcas appellant, communi cum gente iis invisa vocabulo, cuius rei ratio non aliunde magis patet, quam ex ipsius turcici Scholiastæ verbis. Turca, inquit Sudius, si vocis originem respicias, dicitur de gente Tartarorum, qui cum feri essent ac immisericordes, crudelitate item ac perfidia omnibus exosi, poetae perfici venustris sed inclemtes pueros ob saevitiam illis comparantes Turcas compellarunt. Alii etymon vocis inde petunt, quod cum ex exercitu Helakui coniplures se Schirazum recepissent, ibidemque domicilium fixissent, relicta denum numeroſa progenie, soboles eorum vero & genuino Turcarum Schirazensium nomine nuncupari cœpit sine ullu seu allusione sive comparatione. Cæterum Turcæ gens est inter Chorasmios, & extremi orientis Tartaros, de quibus Lexicon turicum a Meninskio citatum hæc habet: *Hoc nomine vocantur incola regnum Scythiae, Chata, Chytaya, & Chaten dictorum, & camporum Kypciacensis, & quia omnes alba facie nigris vero oculis ac superciliis prædicti, adeoque vexatores sunt, poetæ perfici per modum comparationis amasios, amasiasve suas eodem nomine indigitant.*

بده ساقی هی باقی که در جنت نخانی یافت
کنار اب رکناباد و کلکشت مصلارا

*Porrige o Pocillator! quod residuum est vini,
neque enim in Paradiso reperies
Ripam rivi Rucnabadi, aut deambulacra Mu-
sellæ.*

Paraph. O Pocillator infunde, age quod residuum est in lagena vini, ne spes te inventurum in Paradiso, videlicet in altero mundo, amoenas ripas aquæ

aqua Rucnabadi, aut suavissima deambulacra Musellæ. Id est: Quid te spe incerta futuræ beatitudinis lactans præsentium bonorum ac voluptatum studium negligis, cur non potius hic inter delicias rivi Rucnabadi & nemoris Musellæ animum relaxas, & genio, dum licet, indulges? Epicurea me hercule sententia, quæve non obscure arguit poëtam de futuræ vita felicitate, deque asserta horti illius voluptatis doctrina parum orthodoxe sensisse. Hac tamen vice ab ista criminatione eximere eum conatur Sudius, sed minus feliciter, dicit autem intelligentem esse, non quasi Paradisus nihil comparabile habeat fonti Rucnabadi aut nemori Musellæ, sed quod simpliciter hæc loca ibi non reperiantur, sed his longe amœniora.

Est autem *Rucnabad* fons, indeque scaturiens rivus, loci ac limpidissimæ aquæ amœnitate ac salubritate clarus, & a poetis Persarum, præcipue ab Haphyzo crebro celebratus, non secus ac fons Blandusæ ab Horatio. Intelligitur tamen hoc nomine tota etiam illa vallis prope Schirazum in declivi collis cuiusdam *Allab-ekber* dicti. Dicitur vero *Rucnabad* quasi *Rucni-Abad*, ex eo, quod Sejid Rucn-ed-din prædii illius dominus ædificia omni ex parte extruens, ductisque quaquaversum ex pulcherrimo fonte alveis, deambulacrum illic peramicenum fundaverit. Mos autem obtinuit apud Persas, ut si quis locum quemplam cultum & ornatum reddiderit, eum nomini illius dedicantes, hujus vel illius *Abadum* nuncupent. Hoc modo dicitur *Mabmud-abad*, *Hussein-abad*, & Constantinopoli *Giafer-abad*. Interdum etiam loca quæpiam ob præstantiam aut rei cœtu-s copiam *Abad* appellant, sic *Char-abad* &c.

Musella, proprie est locus eminens in aperto campo, ex lapide extructus, & precibus dicatus, quem Muhammedani hora orationis ingruente descendunt, ne humi, aut in immundo loco prosternere se cogantur, sed hic contentum est pro continente, intelligitur enim plaga *Musellæ* adjacens.

Külgescbt. Nomen est ambulacri cuiusdam amoeni juxta urbem Schirazi in margine rivi Rucnabadi, sed & de quounque alio spatio & grato ambulacro dicitur; *Kefcbt* namque est deambulatio, & *Kul* in similibus compositis particulae augendi vim habet, ut $\zeta\alpha$ & $\beta\gamma$ apud græcos, sic *Kulbank* de magna vociferatione vel sono dicitur &c.

فغان کین لوليان شوخ شيرينکار شهر آشوب
چنان بردند صبر از دل که ترکان خوان یخوارا
*Heu mibil quia isti Lulii lascivi, blandi, et
urbem tumultu-complentes,
Eodem modo rapuerunt patientiam ex corde,
quo Turcæ dapes prædatorias.*

Paraph. Heu mihi, quia protervi isti ac melliti, & omnes urbis incolas ad insaniam redigentes *Lulii* formosi, adeo omnem patientiam ex meo petore eripuerunt, sicut *Turcæ* epulum prædatorium diripiunt.

Lulii. Genus quædam est apud Persas μελινόμματος & μελανόφρους, & fusti corporis, ex qua singuli fere cantores sunt & musici; cum uno eorum ait Sudius, tribus circiter annis convixi, qui in urbe Herbat matrimonio junctus erat & poesi operam dabat. Sed Niæmetullah hæc de illis habet: *Lulii*, inquit, qui & *Lolo* & *Lulu*, populi Persiæ sunt Karagii, sic dicti, quod inter bilaritatem *Lulu* aut *Lolo* exclamare soleant. Sunt autem in eorum numero multi formosi, & Prædatores, und:

translate venustis pueris ac puellis per modum epitheti attribuitur. Dicitur etiam de pulcro & pulchra quavis cuius amore bonines capiuntur. Differt tamen ab istis Sudii sententia, qui & refellit Sururium dicentem: singularem τὸν Lulian esse Lulu vel Lolo, eosque esse Karagios populos nigris oculis praeditos. Miræ sane elegantiæ sunt Luliorum in hoc versu epitheta, præcipue tertium illud σύνθετον, quod nullo æquipollenti vocabulo in alia lingua efferrri posse sciam, est autem Schebri-ashub ille, qui in urbe turbas ciet, & tumultum concitat, quod per metaphoram formosis apprime convenire nemo negaverit, cum quotidie usuvenire soleat, ut si quo speciosa & eximiæ formæ mulier aut puella advenerit, primo tota civitas rumore completur, mox vero quasi compage solutâ ad spectandum accurrit, & tanquam seditione aliquâ concitata fertur.

Turca hic non in eodem sensu sumendum quo in primo disticho, de Tartaris videlicet, qui Schiraz sedem & domicilium collocarunt, *sed de Turcis orientis*, ait Sudius, quorum opera usi sunt Chalyphae Abassidea, uti ex Chalypharum Historia patet. Iis nimirum, qui hodie dum late imperant.

Quid autem sit illud Chani-jugbma, sive epulum prædatorum, nulli ignotum puto cui ad aulam Turcarum accessus patuit. Ibi enim statim diebus in anteriore palatii atrio millenæ paropsides pulmento ex oryza refertæ humi positæ cernuntur, quas totidem milites Jenitzeri dicti signo dato summo nisu ac impetu, & mirandâ spectantibus celeritate diripiunt. Cujus instituti rationem hanc esse tradunt, ut vide-licet semper memores sint, victimum militibus non aliunde quam ex rapto & spoliis hostium parandum esse, utque constanter prædæ cupiditate teneantur. Quam tamen ut feram & barbarem consuetudinem non obscure fugillat Poëta.

Amo-

زغشـ نـ اـ هـ اـ مـ اـ جـ هـ اـ يـ اـ رـ سـ تـ غـ نـ يـ سـ ت
 بـ اـ بـ وـ رـ نـ کـ وـ خـ اـ لـ وـ خـ طـ چـ هـ حـ اـ جـ تـ روـ يـ زـ بـ اـ رـ اـ

*Amorem nostrum imperfectum decor amici de-
dignatur,
 Quid enim opus est fuco & colore, & nævo
& mystace faciei per se speciosæ.*

Paraph. Nostro manco & imperfecto amore pulchritudo & celebritas amici nostri nec quicquam eget, nec illi ex eo quidquam claritatis accedere potest; Quid enim opus habet decora ac nitida facies comptricis mentita arte, ejusque pigmentis, fucis, & adscititiis nævis, aliisque hujus generis adminiculis. Notat hic Sudius Haphyzum data operâ amorem suum culpare & imperfectionis arguere, quo magis pulchritudinem & decorem amici sui extollat. Etenim, inquit, inter plerosque amatores hi aut his similes sermones feri solent; dicunt nempe: omnis nostri amici pulchritudo & aestimatio a nostro amore pendet, ita quidem, ut si oculos ab illo averteremus, nullus amplius ei bonorem deferret, adeoque dicit hic poeta, nostri amissi forma & venustus omnibus numeris absoluta est, sed amatorum amor mancus est & imperfectus, adeo ut nihil tali amore ad commendationem opus sit amato.

حدیث از مطرب و می کوور آزد هم کترجو
 که کس نکشود و نکشاید بجهالت این مهارا

*Fac verba de cantore & vino, sed arcana Fati
 parcius inquire,
 Nam hoc ænigma nemo adbuc solvit, neque sol-
 vet, cum omni scientia.*

Paraph. Loquere de psalte aut fidicine, deque
 vino sermocinare, sed secreta Fati, & futurorum

eventum desiste rimari, namque hoc ænigma est, cuius solutionem nemo adhuc dedit, neque quisquam daturus est cum qualicunque doctrina; cum, ut addit Sudius, secretum hoc soli Deo constet. Sic fere Horatius:

*Tu ne quæsieris scire, nefas, quem mibi, quem tibi
Finem Dī dederint, — vina liques, &c.*

من آزان حسن روز افزوون که یوسف داشت دا نستم
که عشق از پرده عصمت بیرون لردز لیخارا

*Ego ex illa pulchritudine in dies incrementum
capiente, quam Josephus possedit, comperi,
Quod amor ex velo pudicitiae extrabat (etiam)
Zelicham (uxorem Putiphari.)*

Parapb. Ex quo historiam de Josephi pulchritudine in-dies-crescente legi, compertum habui, quod amor velum pudicitiae detrahat castissimæ cuique mulieri, ac ipsi etiam Zelichæ. Est autem Zelicha nomen uxoris Putiphari juxta Muhammedanos, quam iidem castissimam fuisse tradunt, antequam Josephum deperire cœpisset. Dicit ergo Poëta exemplo Josephi sibi constare tantam esse amoris vim ac vehementiam, ut nullius foeminæ pudicitia & castimonia satiis tuta sit adversus formæ & pulchritudinis illecebros.

Surat seu caput Alcorani, quod Josephi Historiam complectitur, omnia reliqua tam styli, quam narrationis elegantiâ antecellit, ideoque Muhammedanis summo in pretio habetur. Josephi autem speciosa forma tantopere celebrata est apud eosdem, ut fornosos & venustos quosque hoc nomine compellant, quemadmodum nos Adonides, Narcisos &c. vocamus.

Con-

نصيحت کوش کن جاناکه از جان دو ستردارند
جوانان سعادتمند پند پیردانارا

Confilium ausculta o anime-mi, nam anima carius habent

Fuvenes bonæ-indolis monitum senis sapientis.

Paraph. Puerum suum alloquens dicit: O anime mi! præbe aurem monitis & consiliis meis, etenim probi ac bonæ indolis Adolescentes cariora habent præcepta gravium ac cordatorum senum suā ipsorum animā.

بدم کفتی و خرسندم عفک الله نکوکفتی
جواب تلحیخ میزید لب لعل شکر خارا

*Male dixisti mibi, & ego contentus sum, Deus te servet, bene dixisti,
Sed asperum responsū non quadrat labro pyropi, saccharum mandenti.*

Paraph. Mala verba dixisti mihi (amasium suum alloquitur) & ego dictis tuis acquiesco, nihil tibi succenseo, parcat tibi Deus, bene dixisti, sed hoc capere nequeo, quomodo dictoria aspera & mordacia convenient cum labro tuo melleo, & colore pyropum æmulante. Differt nonnihil interpretatio Sudii, quæ sic habet: *Mibi male dixisti, id est: tu malus es, dixisti, at ego ne malum a te dici non renuo, vel etiam mala verba dixisti mihi, & ego verbis tuis acquiesco, Deus a te malum omne avertat, bene dixisti, quia pungens dictum quadrat roseo & melleo labro, id est mordens & amarum dictum tuum, alterius dulci verbo suavius & jucundius mibi est, nam tu blandiloquus & mellifluus es, & amara ac acerba quævis in tuo mellito ore dulceſcunt.* Eodem plane modo Moschus in epitaphio Bionis vers. 75.

Φάρμακον ἔλθε, βίων, ποτὶ σὸν σόμα, φάρμακον ἔιδες,
πῶς τὸν τοῦς χειλεσσι ποτέ δραμε, οὐκ εὐλυκάνθη;

غزل كفته ودرسته ببيا وخشش بخوان حافظ
که برنظم تو افشار د فلك عقد ثريا،

O Haphyz! odas recitasti, & uniones filo tra-
jecisti, accede, & pulchre modularē,
Quia super carmina tua sparget cœlum acer-
vum Pleiadum.

Paraph. O Haphyz! dum tu versus tuos per
seriem recitas, totidem margaritas filo trajicere vi-
deris, accede igitur, & quam potes, suaviter accine;
fiet ut cœluni modorum tuorum dulcedine commo-
tum, carminibus tuis suas Pleiades inspergat. Notat
Sudius Haphyzum perquam canora voce præditum
fuisse, ideoque de se dixisse, accede huc & argute
canta. Poëtæ perfici cumulum pleiadum monili
comparant. *)

ODE III.

زونق عهد شبا بست د کربستانرا
ميرسد هنگه كل بلبل خوش الحانرا

*Decus ætatis juvenilis est iterum (restitutum)
viridario,
(Fam) pervenit lætum nuntium rosæ ad Philo-
melans canoram.*

Paraph. Rursus ver juvenile pristinum decus
hortis restituit, & aëdon rosarum adventum canora
voce

*) Pleiadum decus poëtico ornati attributum etiam a græcis-
spud quos & nomen fuit septem poëtarum sub Ptolomæo Phi-
ladelpho.

voce nuntiat, verbo ver est & hyems transfit. Scendum Philomelam, poëtarum orientis commento, rosæ amore teneri, eamque vehementer deperire, ideo vel maxime quod utraque veris fit prænuncia, quodve cum primum rosæ apparere incipiunt Lusciniae etiam melos exaudiatur; fabulantur proinde flebiles illos modos & φθόγγος philomelæ nil nisi flagrantis erga rosam amoris esse indicia & quærimonias. Hoc autem prænotandum duxi, quia sæpius recurrit.

ری صبا کربا جوانان چمن بازرسی
خدّمت ما بفرسان سرو وکل و ریحانه

O Zephyre! si ad adolescentes pratorum rever-
sus fueris,
Obsequia nostra defer, Cyparissò, rosæ, &
ocymo.

Paraph. O Zehpyre! si te transfire contigerit
per novellos campos & virentia prata, die amabo
salutem meo nomine Cypresso, rosæ, & ocymo.
Vocat autem juventutem pratorum flores, herbas,
& frutices recenter natos.

گرچنین جلوه کند مغایجه باده فروش
خاکروب در میخانه کنم مژک ازرا

*Si tales blandicias fecerit ganymedes vini-ven-
ditor,*

Verram pavimentum ænopolii ciliis meis.

Paraph. Si Ganymedes *) vini-vendor, id est
formosus ille pocillator diu has & his similes blan-
ditias

*) De significatione & etymo vocabuli *Mugpece* jam supra
affatum dictum est.

ditias & oblectamenta fecerit, qualia nunc facit, cliis meis instar scoparum pavimentum tabernæ veram, id est constanter popinæ limini addictus famulabor, & servilla quæque lubens præstabō. Metaphora hæc absonta est a latino loquendi modo, bene tamen congruit cum persico, cum apud illas gentes salutationis aut reverentiæ exhibitio fiat per prostrationem, & capitis ad terram usque inclinationem, hinc phrasis, oculos aut cilia in pulvere condere, idem sonat ac apud nos salutare, venerari aliquem.

ترسم آین قوم که بدر در کشان میخندند
در سر کار خرابات کنند آیانرا (*)

*Timeo ne isti homines qui (nos) vini-potores
deriserunt,
In desiderio rei cauponariæ Religionem (suam)
impendant.*

Paraph. Vereor ne genus hoc hominum, qui nos facis vini potores, sive ut Horatius ait, poti fæcē tenus cadi redarguerunt, nuper & deriserunt, vereor inquam, ne ipsi nunc omnem suam fidem & Religionem cum studio & concupiscentia cauponæ commutent, & expendant; verbo: Hypocritæ illi, qui nos hactenus ob vini potum tam acerbe criminati sunt, quam timeo, ne nunc vini dulcedine capti, Religionem omnem in capona expendant. **)

بـر و از خانه ڪـردون بـدر و نـان مـطلب
Exi

*) In Sudii Exemplari est *Ser-ii-kar* in desiderio & opere.

**) Redarguitur hic jure Sururius, qui particulæ *ser* multiplicis significationis ignarus, in sensu *capiti* & initii accepit, ac si esset, *in capite operis capona*.

کین سی ما در آخربکشد مه ما نم

*Exi ex domo Cœli, & panem noli petere,
Nam iste hospitum - interfector ad ultimum ad
venam jugulabit.*

Paraph. Egredere de hospitio cœli, nec ibi panem aut victum require, id est, in cœlo, videlicet forte & fortuna, nullam fiduciam ponas, fors enim ερωφδνος est, & ad ultimum hospites & advenas omnes interficiet, id est, perdet & deludet. De inconstancia fortis ac fortunæ quærimonia est, monetque poeta, ne in donis cœli ac fortunæ nimiam fiduciam ponentes, in iisque fidem ac constantiam sperantes, prosperitati, opibus & honoribus confidamus. Sententiam hanc alterius poetæ persici adducto carmine corroborat Sudius, cujus hæc sunt verba :

*De mundo, cuius initium carentia, & finis perditio,
Opinionem habere constantiae error est & stultitia.*

هر کرا خوابکه آخر بد و مشتی خاکست
کوچه حاجت که بر افلاک کشی ایوازرا

*Cuicunque dormitorium postremum duobus pugillis terræ constabit,
Dic illi, quid opus est ad cœlum elevare palatum.*

Paraph. Dic hominini luxu ædificiorum operoso : quandoquidem ultima tua mansio duobus terræ vel arenæ pugillis corpori tuo adspersis constabit, aut binis ternisque spithamis circumscribetur, cui bono in extollendo ad nubes usque palatio defudas, ita plane Hor. l. 2. od. 18.

*Tu secunda marmora
Locas sub ipsum funus ; & sepulcbri
Immemor, struis domos.*

ماه کنعانی من مسند نصران تو شد
کاه انسنت که پدرود کنه زندانرا

O mi Iosephe! (cor meum) tuus Ægypti thronus est,

Tempus est jam, ut valedicas carceri.

Paraph. O mi alter Iosephe! cordis mei solium sit tibi pro throno Ægypti, age tempus est, ut relieto carcere regni solium occupies, id est, in corde meo regnes. Allusio est ad historiam Patriarchæ Josephi, qui ab ergastulo ad regni gubernacula promotus fuit; vocat autem illum figurate Lunam sive pulchritudinem terræ Chanaan. Formosos quosque pueros Josephos dici apud poëtas orientis jani superiore ghazela notatum fuit; Hic itidem nomen hoc suo amasio tribuit ob formæ elegantiam. Particulæ an vini & significationem, inque ea peculiarem linguæ persicæ idiositatem, nulli antea notatuni, & ad versum hunc intelligendum cognitu necessarium, vide in notis.

در سر زلف ند انم که چه سود آداری
باز بر هم زده کیسی وی مشک افشا ندا

*In cuspide cincinnorum nescio quid propositi
babear,*
Quod intricaveris cæsariem moschum redolentem.

Paraph. Ignoro, quid cincinnorum tuorum extremitate omineris, vereor tamen, ne quid mali mihi portendat confusa & intricata tua coma, & moschi odorem spargens cæsaries. Augurium capit ex coma amici sui, quam quia turbatam videt & incompositam, funesti quidpiam auguratur.

ای که برهه کشی از عنبر ساراچوکان
مضطرب حال مکردان من سرکرد انرا

*O qui super lunam (id est faciem) ducis ex
eleetro puro clavam-lusoriam (videlicet su-
percilium, *)*

*Ne me dolore-opprimas attomitum (amore per-
culsum.)*

Paraph. O qui ciliis vel cincinnis puri electri
odorem spirantibus lunæ arcum imitaris, ne me miser-
rum & vecordem sævo amore confici patiaris. Sed
hæc tota metaphora est, a similitudine clavæ luso-
riæ Cerkian dictæ petita, quæ arcuata est; vide no-
tas hujus & alterius loci.

حافظامی خورو رندی کن و خوش باش ولی
دام تزویر مکن چون دکران قرانرا

*O Haphyz! vinum bibe, & comedere, & ge-
nio indulge, verum,*

Noli adulterare, ut alii, Alcoranum.

Paraph. O Haphyz! quidquid animo tuo colli-
bitum fuerit, age, bibe, lude, helluare, voluptates
carpe, cave tantum, ne ut ab allis fieri solet, Alcorani
textum vities, & ad erroneos sensus detorqueas.
Insectatur Hypocritarum fictam & simulatam pietatem,
& sanctimoniam, qui quidem a vino, & le-
vioribus culpis abstinent, sed ad maximorum scele-
rum, quibus obnoxii sunt, excusationem verba Alco-
rani depravant, & ad libitum explicant. Dicit er-
go, quidquid facere volueris, facias, dummodo hypo-
cris in

*) Juxta Sudium cincinnum.

crisim non admittas, quæ ut Sudii ipsius verbis utar,
irreligione ipsa majus malum est.

ODE IV.

صوفی بیا که آینه صافست جام را
تا بنکری صفائ می لعل فامر را

*O Anachoreta! accede, nam speculum purum
est cyathus,
Ut videas (in illo) delicias vini, pyropum
colore æmulantis.*

Paraph. O Monache abstemie accede huc & inspicere hoc poculum vino limpido ac rutilo plenum, ut in eo tanquam in puro speculo cernere possis gaudia & voluptates, quæ vinum purpureum bibentibus largitur.

Sophi hoc loco significat monachum & anachoretam, virum scilicet Deo dicatum, & contemplationi rerum cœlestium unice addictum; qui plerumque si non opere, specie tamen vitae austerae & rigidæ, ac emnigenæ macerationis studio tenentur. Quos proinde Poeta hoc versu, ut passim alibi, deridet, & ad ludibrium usque cavillatur. Cæterum Sophus etiam de sapiente ac vere religioso dicitur. Dicitur autem a lana, quod Sophi sericis vestibus uti renuant, nam *Saf*, arabicum, a quo Sophi profluxit, lanam significat. Sudius ait illos proprie dici Sophos, qui res divinas, & ad Dei amorem spectantes visibilium rerum figuris adumbrant, & hinc addit, *Rex Sopborum idem qui Persarum, quia Ismael ex profupia nunc imperante, primus ex illo hominum cætu delectus est.*

Notat denique Sudius antiquum esse poetis persarum ut subdolos, speciem sanimoniac præferentes hypocri-

pocritus, Sophios, vel potius Sophiorum pietatem simulantes sycophantas acerrimis diffis & conviciis confalentur; non item vere pios ac probos Sophios, nam bi se suasque res unice curantes, nullos cavillis & contumeliis proscindunt.

رازدرون چرده زرنده آن میست پرس
کین حال نیست زاهد علی مقام را

*Secretum intra velum (reconditum) ab hel-
luonibus ebriis require,
Nam hoc negotium non est Religiosorum emi-
nentium.*

Paraph. Arcana rerum, quæ fati velo occultantur, sciscitare ex ganeonibus & vini poteribus, etenim scientiæ hujusmodi non est locus apud summæ dignitatis Religiosos & continentes. Et hic sensus quidem præmia fronte se offert, sed argutior est Sundii explanatio, quæ sic habet: *Arcanum amoris quod intra velum abditum est, a vino & amore ebriis sciscitare, nam iste status, sive hoc negotium, non est eminentium Religiosorum negotium; namque institutum ascetarum, est institutum amoris, siquidem vitam omnem in amore divini amasii, ejusque contemplatione transfigunt, & dilectionis plenam notitiam & arbitrium babent, sed mysterium amati nulli revelant, immo secretum in animo & imo pectore recordunt, adeoque arcanum quod ea ratione subitus velum est, propalare, non est illorum negotium.* Verbo Arcanum amoris ab ebriis require, nam ascetæ sobrii & continentes de hoc mysterio loqui nefas ducunt.

عنقا شکار کس نشود دام باز چین
کا ینجا همیشه باد بد سنت دام را

*Avis-Ænka præda nullius facta est, contrabe retia,
Nam hic loci nil nisi ventus incidet in retia.*

Paraph.

Paraph. Avis Ænka, id est Gryphus, aut Phœnix, nullius unquam aucupis præda facta est, *) contrahe retia, nam hic præter ventum inanem nihil retibus tuis comprimes, nihil capies; nimirum: Formosus, qui ad instar Gryphi aut Phœnicis sublimis, ac præcellentis naturæ est, arte, dolo, vel fraude captivari & circumveniri nequit; ideoque dicit: ad formosi possessionem paratas machinas & insidias dimittit, quia omnis conatus infructuosus est.

Ænka est avis fabulosa, cuius species sic definitur ab Arabibus: *Mevgiud - ül - ism*, *megbul - ül - ism*. id est: nomine nota est, sed corpore carens. Putant nonnulli, quæ de illa fabulantur Arabes convenire Phœnici, aliti itidem commentitiæ, ex eo vel maxime quod Ænka unica esse in toto terrarum orbe feratur; sed grypho melius assimilari tum ob molem corporis, tum ob alia figmenta illi attributa ex mox dicendis patebit. *Varia* & plane contraria, inquit Sudius, sunt opiniones scriptorum de avi Ænka, nonnulli afferunt temporibus Patriarchæ Mosis binas aves a Deo creatas fuisse in regione Hierusalem, quæ post obitum Mosis ad montes Meccæ convolaverint. Alii dicunt evenisse hoc temporibus tribus Res dictæ, cuius Propheta fuit Hanzilet ibni safvan. **) Alii rursum quod vitam protraxerit usque ad tempora Chalidi filii Sivan Ysù, qui fuit Propheta medius intra Jesum & Muhammed. Haphyz ait Ænkam in proverbium venisse apud omnes antenatos, tum vel maxime cum indicare voluerunt rem auditam quidem, sed nuspian visam. Eandem sententiam tuetur Kibrit Ahmed. Addunt nonnulli Ænkam vocari propter spiram vel

col-

*) Sic Terentius:

Quia non rete accipitri tenditur, nec Milvio.

Ter. Phor. 2. 2. 16.

**) Menninsky Commentarium Haphyzi citans sic ait: *Ænka*, *gyps*, *gryphus*, *avis ingens & fabulosa*, *quam ceu Reginam in monte Kaf commorari ferunt*; *Alexandrum magnum cum hac avi in monte Kaf confabulatum fuisse*, *nugantur itidem Arabes*.

*collare album, quod in ejus collo conspicitur, *) sunt, qui ita dici putant propter colli longitudinem. Perfice vero Simurgh vocatur, ob enormem corporis molem, ac si triginta aves essent, (si enim triginta, Nurg, avis) Cæterum qui avis Aenka naturam & proprietates plenius discere voluerit, consulat notas Mutarrazy in quinquagesimum Makame seu confessum Haririi.*

در عیش نقد کوش که چون اخوار نا د
ا دم بیشت رو ضه دارالسلام را

Bonis paratis fruere; nam & sorte frustratus Adamus missum fecit paradisum felicitatis.

Paraph. Fruere praesentibus gaudiis, & paratis voluptatibus stude, & futurorum curam metumque abjice, nam & Adamus amissa pristina felicitate, fugitivus ex paradyso exulavit. Id est, gaude paratis, & scientiam futurorum exemplo progenitoris Adami comparare cave, qui dum sciendi cupidus arboris scientiae fructum imprudens degustat, bonis omnibus privatus, ex horto voluptatis exulare coactus est.

Abchor & Abishchor, & in versu nonnunquam Abchar proprie est, alveus, aquarium, sed hoc loco fons, fortuna, portio. Dar-iis-selam porta salutis, domus felicitatis, & simpliciter Paradisus.

در بزم دور یکد و قدح در گش و برو
یعنی طمع مدارز و صال دوام را

In

*) Aenka etiam propria significatione dicitur de cane, longo collo, & parte colli albidente.

**) Sic fere Theocritus:

τὴν παρεῖσαν ἄμεληγε τι τὸν φεύγοντα διάκεισθαι

*In convivio saeculi unum alterumque scyphum
bauri, & discede,
Scilicet: optare noli gaudium perenne.*

Paraph. In symposio hujus mundi unum alterumque cyathum confestim ebibe, & recede, nimirum noli sperare constantem & diuturnam felicitatem. Mundum & saeculum juxta ghazelæ genium symposio comparans Poeta dicit: In mundi symposio semel aut bis bibe, & statim excede, id est, paucis bonis contentus esto, copiam noli concupiscere, cuius rationem reddens sequenti versu addit, cave, inquit, putas gaudia & voluptates constantes futuras, ad instar potatorum, qui uno alterove poculo non contenti, ad ebrietatem usque bibunt, deinde vero intemperantiae incommoda patiuntur. Verbo adhortatio est ad *αὐτάπεισον*.

لی دل شباب رفت و نچیدی کلی زعیر
پیغمبر آنہ سرپنگ هنری ننک و نامرا

*O anime! juventus transiit, quin tu decerpseris rosam unicam ex vita,
Sene&tutis tempus impende virtuti & bonæ famæ.*

Paraph. O anime mi! ver juventutis transiit, quin tu vel unicam rosam decerpseris, id est, quin fructum ex retroacta ætate collegeris, age jam, dum tempus est, saltem sene&tutem in acquirenda virtute & bono nomine impende. Sudius ad amasium verba hæc referens sic explicat: O anime! ætas juvenilis elapsa est, quin tu quidpiam digni feceris, quo ad amici possessionem aspirare possis, satage ergo, ut quod reliquum est ævi, in conciliando illius amore, & demerenda ejus copia impendas.

Ser vocabulum est πολυσήμαντος, sed hic pro tempore & ætate sumitur, vel simpliciter vim habet complexivam.

* حافظ مرید جام میست ای صبا برو
وز بندہ بندہ کی برسان شیخ جام را

*Haphyz cupidus est calicis vini, O Zephyre abi,
Et a servo servitum defer Doctori Giamio.*

Paraph. Jam alias dictum est, eam esse legem Ghazelæ, ut poeta in ultimo quovis disticho se ipsum nominet, sed hic alia argutia est in verbo *Giam*, quod & appellativum nomen est poculi, & proprium celebri Doctoris, Poetæ nostri amici. Verba hæc sunt: Haphyz desiderio tenetur poculi vini, perge oZephyre, & Doctori Giamio nostra obsequia defer. Lusus verborum tam frequentes sunt in hoc carminum genere, præcipue apud hunc poetam, ut qui Ghazelas attente legerit, in una quavis acumina hujuscemodi animadvertiset. Sed hæc nulla ratione in metaphraſi reddi possunt, nec dubito, si reddantur, pro inficitis habenda, cum latinæ linguae genius ab hoc ludicro genere abhorreat, et si factitatum a nonnullis compertum habeam, ut in illo Martialis:

*Defungi fungi homines Macrine negabas,
Boleti Letbi, causa fuere tui.*

F

At

*) In nonnullis codicibus ante hos versus sequens distichum reperitur:

Nobis ad solitum tuum multum juris est ob servitio.

O Domine respice eam misericordia servam tuum.

Et hic quidem per Chage intelligi Chage Kavam. ed. - Hasan. verosimile est, vel etiam Kavami Ekber. Vide inferius. Scendum autem Vezirios Chaze appellari solitos.

Iste est Ahmed beni Ebu Hasan El-gami Namaki, auctor juxta d. Herbelotum libri cuiusdam, dicti: *Enis-ül-Sabitin.*

At linguæ persicæ indoles argutias in verbis similibus admittit, uti & aliæ linguæ orientales, nec insulse quidem, quod ideo notatum volo, quia plerique ad vernaculæ linguæ normam aliarum gentium idiomata trutinantur, & expendunt.

Monet Sudius Giamium, eundem esse ac Ahmed Namaki, & sic dictum, quod ex urbe Giam fuerit, additque Interpretes, qui poetæ scopum non perspexerunt, mirum quantum hallucinatos esse. Est autem urbs *Giam* patria dicti Doctoris, uti & Mevlanae Giamii, adeoque quotiescumque in poetis persicis Giamii mentio occurrit, de Ahmed Namaco sermo est.

ODE V.

دوش از مسجد سوی میخانہ آمد پیر ما

چیست یاران طریقت بعد ازین تدبیر ما

*Hesterna nocte ab oratorio versus cauponam
ivit Antistes noster,
Quid est, o Socii instituti! postbac consilii
nobis?*

Paraph. O contubernales, & ejusdem instituti monastici affecclæ, quid restat nobis postbac consilii, aut quam normam & regulam sequemur in monasterio, quandoquidem hesterna nocte Senior (Abbas) noster a sacrario directe ad popinam se contulit. Verba hujus strophæ si nude accipientur, nihil difficultatis involvunt, multo secus si ad sensum allegoricum advertatur; tunc enim ita sonant. Hesterna nocte, id est, preterito tempore Abbas noster Meca Cæsaream profectus est (quæ cum id temporis a Christianis teneretur, cauponam, id est, locum impurum vocat, ac si diceret: a loco sacro ad im-

mun-

mundum concessit) O disciplinæ & instituti ejusdem socii , quid erit nobis imposterum consilii , aut quem a Præfecto nostro derelicti tramitem sequemur . Qui plenius perspicere voluerit sensum hujus strophæ ad-eat libri Mantyk - iit - tair dicti primam narrationem . Nonnulli , inter quos Schæmius & Sururius , allusionis hujus ignari futilia quæque & inepta blaterarunt . Intelligitur ergo hic per Mescid Mecca , per Dusch tempus præteritum , & per Meichane Cæsarea . Continent autem ghazelæ hujus tres primæ strophæ continuam allusionem ad apogorum Sænæni , sive Abdürrezaki Ieminensis , de quo pro pleniori explanatio-ne Scheib-Attar peculiarem apogorum scripsit in dicto Mantuk - iit - tair . Haphyzi vero & aliæ ghazelæ hoc respiciunt , ut suo loco monebitur . Itaque censemendum hæc & sequentia verba ex ore discipulorum Scheichi profluere .

بامريدان زوي سوي کعبه چون اريم چون
روي سوي خانه خماردار پير ما

Cum discipulis faciem versus Meccam quomodo dirigenus ? cum Faciem versus tabernam vinariam vertat Senior noster .

Paraph. Quo pacto sciamus nos discipuli vultum inter precandum debito modo Meccam versus *) convertere , quandoquidem Magister noster obtutum in taberna defigit , videlicet memorati Scheichi discipuli ac sectatores consilium ineuntes dicunt : Præ-

*) Muhamedani præcepto religionis adiuncti , vultum inter precandum ad regionem Meccæ convertunt , ob ædem sacram intibi ab Abraham Deo dicatam , Cabæ dictam , & traditione Aram toto orbe antiquissimam .

ful noster vinum bibt, puellas deperit, & illicitas ac vetitas quasque actiones committit, immo forte juxta Attari dicta, a fide degenerando infidelis factus est; proinde quis status expost, quæ nostra conditio futura est? aut quomodo nos discipuli inter orandum faciem ad Meccam convertere valeamus, cum antistes noster se ad popinam convertens prævaricatione, sceleribus, & omnigena impudicitia animum polluerit.

در خرابات مغان ما نیز هم فنزل شوید
کین چنین رفتست در روز ازل تقدیر ما

In Taberna cauponis (age) nos quoque convictores sumus,
Quia hoc modo emanavit ab æterno sors nostra.

Paraph. Agedum sequamur Archimandritam nostrum omnes ad cenopolium, siquidem ita statutum est æterno & immutabili Dei decreto; vel etiam: cum in die creationis hæc sors nobis assignata sit. *Ruiz ezel* enim potissimum de die creationis dicitur. Tres istæ strophæ ad præfatum apogorum constanter al ludunt.

باد بزرگ تو آمد شد جهان بر ما سیاه
ذیست از سودای زلفت پیش ازین توفیر ما

Ventus cincinno tuos attigit (�) mundus
super me obscuratus est,
Nulum est ex amore cincinnorum tuorum aliud
quam hoc lucrum nobis.

Paraph. Zephyrus comam tuam (ad Amasium loquitur) involavit, & contrectando dispersit, at mihi illico præ Zelotypia oculi caligare coeperunt,
&

& aér obscurari ac nigrescere visus est; hoc solum
est mihi lucrum ex insano amore, quo erga cæsa-
riem tuam feror.

میخ دلارا صید جمیعت بدام افتاده بود
زلف بکشادی زدست ما باشد نجیرما

*Alii cordis (mei) præda collectionis-animi in
retia inciderat,
Tu comam (tuam) explicasti, (Et statim) ex
manu præda elapsa est.*

Paraph. Avis cordis mei collectionis animi præ-
da potita est, id est: animus meus se recolligere
cooperat, & quiete ac tranquillitate frui, sed tu cæ-
sariem tuam explicasti, & nodos comæ tuæ solvisti,
& illico pax & quies omnis e manibus meis elapsa
est; videlicet: quamdiu coma & antiæ tuæ nexæ &
nodatae fuerunt, animo meo vis & constantia adfuit,
sed ut primum comam tuam solvisti, & vento spar-
gendum dedisti, una vis & robur cordis mei disper-
sum est; verbo, sors & fortuna animi mei a cæsarie
tua pendet, si illa collecta fuerit, & ego animum
meum colligo, si sparsa, ego vicissim animo sum
disperso.

عقل اگر داند که دل دریند زلفش چون خوشت
عاقلان دیوانه کرند از پی زنجیرما

*Si mens sciret, quam cor in laqueis cincinni
ejus bene se babeat,
Sapientes delirarent præ desiderio catenæ
nostræ.*

Paraph. Si mens humana conscientia esse posset vo-
luptatum illarum, quas animus illius comæ vin-

culis irretitus persentiscit, quidni cupido vinculum ejus sapientissimos quosque redigeret ad insaniam; videlicet: nemo est tam sapiens, qui non velit furere mecum in iisdem laqueis, si suavitatem eorum perspectam haberet.

روی خوبت آیتی لزطف بر ما کشف کرد
زان سبب جز لطف خوبی ذیست در تفسیر ما

*Vultus tuus pulcher unum paragraphum de gratia nobis explicuit,
Ea de causa nil nisi gratia & venustas est in commentario nostro.*

Paraph. A quo venustum labrum tuum unum textum prælegit & explicuit nobis de gratia (ajet proprie de Alcorani versiculis dicitur) nostra vicissim dicta & scripta nil nisi veneres & gratias spirant. Verbo , si qui scriptis nostris insunt lepores & gratiae, omnes ab ore tuo legimus.

بادل سنگینهت ایا هیچ در کیرد شبی

ه اتشبار و سوز سینه شبكیر ه

*Cordi tuo saxeo prob nullane unquam nocte vestigium impriment!
Suspiria mea ardentia, & tota nocte flagrans incendio pectus.*

Paraph. Proh nunquamne fiet, ut cor tuum saeum mollescat æstu & fervore suspiorum meorum, & pectoris mei nocturna conflagratione , id est incendio, quod per totam noctem durat. Dicit autem nocturnum incendium , quia tunc temporis intensior est amoris æstus. Reprehenditur hic iterum Shæmlius

minus, qui putat vocem Shebkir significare *insomnem*, ac si esset *pectus insomne*, quem & Nieninsky in suo Dictionario sectatus est, sed perperam.

تیرآه مازگر دون بکذرد حافظ خوش

رحم کن بر جان خود پرهیز کن از تیر ما

*Tela gemitum nostrorum Cælum pertransiunt,
o Haphyz tace,*

Miserere animæ tuæ, abstine a telis nostris.

Paraph. Figurâ tariki tegrid seu monologiæ utens Poeta inquit, O Haphyz! gemitus & querelæ nostræ sagittarum instar sidera ferierunt, tace jam, nosque suspiriis & lamentis ultra lacestere noli, sed potius animæ tuæ quiete consulens a telis nostris cave. Videlicet: cave ne suspiria mea ad cœlum elata tuo dam o effectum fortiantur. Schæmius dicit Poetam aperte quidem seipsum alloqui, occulite autem ad amasium verba dirigere, sed Sudius asserit illum non esse assecutum auctoris scopum, et si mihi hac vice iniquus Jūdex videatur.

O D E VI.

ساقی بنور باده در افروز جام ما
مطرب بکو که کار جهان شد بکام ما

O Pocillator! fulgore meri Coruscum-fac poculum meum,

O Psaltes canta, quia res mundi ad mea vota cedunt.

Paraph. Heus Pocillator vino puro & instar lumenis claro irradia, *) id est vina purpurea reple,

*) Aut si verbum verbo reddere mavis, lumine vini accen-

o Musice canta, quia res & negotia mundi ad numerum meum fluunt. Sic etiam intelligi potest, ait Suidius, canta o Musice quod negotia mundi, id est vita ad votum meum decurrant, vel etiam: canta id, quod sequenti stropha continetur. Ma der Piale &c.

هادر پیاله عکس رخ یار دیده ایم
ای بی خبر لذت شرب مدام ما

Nos in calice repercussionem genarum amici vidimus,

O ignari gustus potationis nostræ continuae.

Parapb. O miseri! qui ignoratis gustum & voluptatem, quæ in potu constanti sita eit, scitote, quod genas Sodalis nostri in poculo vini reflexas intuiti simus. Potest autem intelligi, ac si revera faciem amici in poculo reflexam viderit, tum etiam quasi si purpureus vini color ex repercussione rosearum pueri genarum manaverit. de müdum consule notas.

مستی بچشم شاهد دلیند ما خوشست
زان رو سپرده اند مستی زنام ما

Ebrietas in oculis formosi Cor-nostrum-devincientis decens est,

Ea de causa remiserunt ebrietati babenas nostras.

Parapb. Ebrietas mirum quantum convenit oculis formosi pueri mei, *) id est in oculis ejus languidis

de cyathum meum, quod ideo dicit, quia vinum rubrum & rutilum quale Shirazium est, ignis instar ardore videtur.

*) Sic Tere Catullus.

Et dulcis pueri ebrios ocellos,

Illo purpureo ore suaviata. Catull. 43. II.

guidis & vino turgidulis maximæ sunt illecebræ, hinc puto factum est, quod frena arbitrii mei Deus aliquis ebrietati laxaverit. Verbo: ebrii & nataentes pueri mei ocelli causa sunt, cur & ego me vino & crapulæ addixerim.

چندان بود کرشه و ناز سهی قد ان
کاید بجهلوه سه و صنوبر خرام ما

*Tamdiu durabunt blanditiæ & oblectamenta
gracilis & proceri-corporis (puellorum,) Donec coperit se motitare Cyparissus (meus)
(pinum-vacillando-aemulans.)*

Paraph. Tamdiu placebunt, & exhilarabunt spe-
ctantes mollium & gracilis staturæ puerorum blan-
ditiæ & motus lascivi, donec ad saltum veniat cy-
parissus, id est puer meus, qui molli ac delicato in-
cessu, proceræ pinus vacillationem & mobilitatem
præcellit; videlicet si hic prodierit in medium, il-
lorum nulla ratio habebitur. Puerorum cum Pinu
Cypresso ob gracilitatem & proceritatem comparatio
oppido frequens est apud Persicos poëtas, nec sane
illepida, cum & Virgilius ea usus sit, de Lycida
loquens:

Fraxinus in sylvis cedat tibi, pinus in hortis.
Eccl. 7. 68.

هر کس نمیرد آنکه دلش زنده شد بعشق

ثبتتست بر جربده عالم دوام ما

*Nunquam morietur ille, cuius cor animatum
est amore,
(Ideo) certa est in libro vite perpetuitas
mea.*

Paraph. Cujuscunque pectus igne amoris calet, & animatum est, nunquam morietur, ideoque in libro vitae hujus mundi perennitas & immortalitas meo nomini adscripta est, quia ego ex illis sum, qui vitam in amore transfigunt.

Geride proprie liber est, ait Sudius, aut volumen flabelli instar complicatum quod utrinque inscriptum est, sed cuius hoc tempore nullus est usus; sumitur etiam promissio pro quovis libro, hic vero pro libro vita & elenco fati.

رسم که صرفه نبرد روز بازخواست
نان حلال شیخ زب حرام ما

*Vereor, ne quidquam amplius (retributionis)
percipiatur in die resurrectionis,
Panis licitus Archimandritæ, quam vinum
probibitum nostrum.*

Paraph. Quam vereor, ne in die extremi Iudicii eandem sortem plane nanciscantur legitimus ille sed mucidus monachorum panis, quem paneni foundationis vocant, & liquor vetitus, id est vinum nostrum; videlicet, timeo ne non pari passu ambulent in novissimo die austeritas & maceratio ascetarum, cum luxu & incontinentia nostra. Remunerationem & poenas alterius vitae videtur hoc versu poeta profabula habere, eas saltem, quæ temperantiam & luxum comitari debere creduntur; sed ab hac suspitione eximere conatur illum Sudius, dicens verba hæc ad hypocritas solum alludere, hoc modo: *Quam vereor, ne idem lucrum percipiatur in die novissimo ex tua cum abstinentiae simulatione & hypocrisi exacta vita, meaque gaudiis, voluptatibus & coquitionibus insumpta, immo forte major erit ratio intemperantiae meæ, quia fraudis & hypocriseos expers est.*

ای باد آگر بکاشن احباب بکذرب
زندگانی عرضه ده برجانان پیام ما

*O Zepbyre! si per bortum amicorum transferis,
Memento ferre in conspectu sodalis (mei) no-
vum-nuntium a nobis.*

Paraph. O Zephyre! si acciderit transfire te per viridarium, id est locum conventiculi formosorum, fac de me mentionem in conspectu amissi mei. Videlicet commemora illi, quod in sequenti Stropha continetur,

کو نام ما زیاد بعد چه میبری
خود آید اینکه یاد نیاردنام

*Dic (illi) nomen nostrum ex memoria cur da-
ta opera aufers,
Sponte veniet (tempus) illud, quo mentio nulla
fiet nominis nostri.*

Paraph. Dic illi (videlicet o Zephyre) quare nomen meum data opera niteris ex tua memoria evellere, cum per se tempus venturum sit, quo nominis nostri nulla memoria, nulla recordatio supererit, nimirum moriemur omnes, & lethum nomen ac famam nostram oblitterabit.

دریای لخضر فلک و کشتی هلال
هستند غرق نجت حاجی قوام ما

*Mare viride cœli & navis novæ-lunæ,
Submersa sunt in beneficiis Hagii Kavami
noſtri.*

Paraph. Viride æquor cœli, & navis nascensit lunæ, id est cœlum & sidera immersa sunt donis & mu-

muneribus Hagii Kavami. Elogium est hyperbolicum viri illius munificentissimi ob eximiam liberalitatem. Fuit autem Cavam-ed-din Hæsæn Regis Persarum Sultani Hæsæn Elchani, ejusque filii Sultani Scheich Avisi summus regni minister (Vezirius) quemadmodum Haphyz in Chronographico mortis ejus meminit:

Sûruri Æbli Æmajim Scheniy gemy engiimen,

**) Sabybi Sahibkyrar Hagi Cavamed-din Hæsæn.*

id est: Solamen cidari insignium virorum (Judicium) & lumen omnium confessuum,

Vezirius felicissimus Hagi Cavam-ed-din Hæsæn.

Ante hunc fuit Vezirius Kavami-ekber dictus, de quo pariter meminit Haphyz in chronographico mortis ejus, sub nomine Kyvam ad eum alludens.

Azam Kyvami devlet-ü-din anki ber deresh,

Ex behri Chaki-pus nilnudi Felek Sigaud. id est:

Summum Column Regni & Fidei, ille in cuius limine,

In osculi-pedum gratiam, exhibuit cœlum adorationem.

Post hunc ergo Hagi Cavam-ud-din decem annis summi Veziratus munus obiit, prouti ex utriusque chronographo manifestum est. Est etiam Hagi Cavam Gymnasii illius Fundator, in quo Haphyz lectioni & sacrarum litterarum studio pluribus annis operam navavit, & commentarii *Teffri-Kijsobaf* dicti loca dubia & obscura glossis idoneis dilucidavit; quemadmodum & in opus *Sukkiakie* dictum notæ ejus marginales de loco in locum hodieum extant.

حافظ زد یده دانه هی فشا ند
باشد که هر غ و صل کند قصد دام ما

*O Haphyz! ex oculis stillam lacrymæ sparge,
Fiet,*

**) Persæ pro primo Vezirio frequenter verbo *Sabyb* utuntur.*

Fiet, ut avis conjunctionis tendat ad retia nostra.

Paraph. Metaphorā ab aucupio petitā amasium suum avim, guttas lacrymarum grana illicij, quibus aves ad laqueos pelliciuntur, nuncupat & dicit, o Haphyz sparge aliquot grana lacrymarum ex occurris tuis, sic enim fiet, ut avis tua, videlicet amasius, illicio granorum illorum allectus ad tua retia tendat, tibique sui copiam faciat. Verbo: Lacrymare o Haphyz! ut fletibus tuis permotus amasius voti te compotem reddat.

O D E VII.

هَبَا بِلْطَفٍ بِكُوآنْ غَرَّالْ رِعَارَا
كَهْ سِرْبِكُوهْ وَبِيابَانْ تُودَادَهْ هَارَا

*O Zephyre! placide dic illi binnuleo delicato,
Quod caput nostrum in montes & deserta tu
conjeceris.*

Paraph. Heus Zephyre age dic illi molli ac tenero cervæ hinnulo (illi Ghazelæ sive Dorcadii) quod illius cæco amore percitus per avia & deserta montium juga amenti similis ferar. Poëtae orientis persæpe cum Zephyro colloquuntur, ejusque ministerium in amore flagitant, ideoque pro eorum nuntio ec tabellario habetur; *) Tantæ enim sunt dignitatis, inquit Sudius, amasi, & formosi, ut ad eos sola aura matutina aut vespertina cum nuntio allegari possit.
Ra-

*) Consimili munere funguntur Zephyri etiam apud nostrarum regionum poetas, & inter reliquos apud Menagium.

-- -- les jeunes Zéphirs
Fidèles Messagers des amoureux désirs,

Ræna proprie talis rosa est, quæ ex parte rubra ex parte flava est, vel potius similis rosæ epithetum est, quod ideo notatum volo, quia significatio hæc in lexicis non facile reperitur. His tamen & similibus in locis tener, delicatus, gracilis, significat.

شکر فروش که عمرش دراز باد چرا
تفقدی نکند طوطو شکر خارا

Vendor sachari, cuius vita longa sit, quare Nibil sciicitatur de Psittaco sacharum mandente.

Paraph. Vendor sachari, id est dulcis ac melitus ille puer, quem Deus diu servet in columem, quare non est memor Psittaci sui sacharum mandantis, id est suaviloqui ac diserti, cur non amplius porrigit ori ejus bellaria. Vendor sachari πειρα-
τονώλης est amasius poetæ, Psittacus autem sacharivorus est ipsemēt Poeta, quia & Psittacis vox est mutandis ingeniosa sénis, ut Ovidius ait, hinc hic fere est sensus; Formosus ille, ex cuius ore mel & sacharum fluit, quare cum mihi simili Psittaco dulci-
loquo, nimurum cum poeta γλυκυσόμω καὶ γλυκυμείλα-
χῳ amicitiam & unionem non colit?

غور حسن اجازت مکر فداد ای کل
که پرسش فکنی عند لیب شید ارا

Arrogantia pulchritudinis (tuæ) forte non concedit o rosa! (in causa est)

Quod nullam quæstionem facias de Pbilomela amenti.

Paraph. O Rosa! est ne superbia formæ tuæ in causa, quod nullam curam geras Lusciniæ, quæ te dep-

periens in furorem versa est? De rōsæ & lusciniaæ poeticis amoribus jam alias affatim dictum, hic vero monendum restat, allusionem esse hanc, ut superiori stropha, ad amarium poetæ, hoc modo: O Formose puer! numnam formæ & venustatis tuæ superbia obstat, ne de statu & conditione miserorum amantium quidquam scisciteris.

ند انم از چه سبب رنگ اشنای نیست
سری قد ان سیده چشم ماه سیهارا

*Nescio, qua de causa nullum sit indicium amoris
In gracilibus, nigris oculis, & facie nitente
(præditis.)*

Paraph. Mirum sane inquit, neque assequi possum, cur formosi; gracilis ac proceræ staturæ, & nigris oculis insignes, ac vultu lunæ instar radiante prædicti nullum signum vel indicium amoris edant; id est: ignoro, cur puer meus, qui omni ex parte venustus est & amabilis, tam sit ἀνέργος, & ab amore alienus. Honoris gratia utitur plurali pro singulari, persico idiotismo.

جز این قدر نتوان کفت در جمال تو عیب
که وضع تو هر وفا نیست روی ازیهارا

*Nullum aliud potest exponi pulchritudini tuae
vitium,
Nisi quod modus amoris & constantiae nullus
fit in nitenti vultu.*

Paraph. In forma & pulchritudine tua nullum alium defectum reperiri posse existimo, præterquam quod fidei & constantiæ nulla norma, nulla regula servetur a tya decora facie. Id est: Formæ & gracia-

tiarum perfectio omnis te maneret, nisi hoc unum
obstaret; quod constans non sis, quod volubilis sis,
videlicet ut Theocritus ait:

τὸν μοκρὸν ἀγαθός, τὸν δὲ τρόπον εἰς ἐθελον.

حسن خلق توان کرد صید اهل فطر

بیند و دام نکیرند همچو دانارا

Pulchritudine morum captivari possunt cordati viri,

Laqueis & retibus non capiunt avem sagacem.

Paraph. Adolescentem formæ elegantia elatum
alloquens inquit: O formose! perspicacis & cordati
viri morum & indolis pulchritudine captivantur, non
autem specie corporis, sapientes quippe instar avium
astutarum & sagacium sunt, quæ laqueis & retibus
neutiquam capiuntur. Tales proinde viros comitate,
mansuetudine, observantia & honore tibi devinci-
te stude.

برهان چه محب کر ز کفته حافظ

سماع ز هرمه برقص اورد مسیحوار

In celo', quid mirum, si verba (carmina)
Haphyzi

*Cantu proferens *) Venus, ad saltum moveat*
Messiam?

Paraph. Quid mirum, inquit, si Haphyzi sua-
vissima carmina Venus cantu proferens, aut cum
sono chordarum modulans, Messiam ipsum ad fal-
sum permoveat. Est autem Venus, teste Studio, Mu-
sicorum

*) Vel ad verbum ex dictis Haphyzi: Concentus Veneris ad
saltum ducat Messiam.

flicorum & cantorum planeta, & virtus canendi, ejus influentiae adscribitur ab orientalibus.

Stropham hanc in versione ligata aliter extuli, suppresso Messiae vocabulo, ne quis forte joci indecentia offendatur. Absit tamen, ut ex eo poëta impietatis arguatur, atque Messiam ludibrio habuisse censendus sit, cum Mahometani omnes, et si non Divinitatem, summam tamen Sanctitatem in Messia recognoscant, quem & spiritum Deli, & Virginis filium, & divinum Prophetam uno omnes ore profertur. Atque adeo quod hic de Christo dicit, de Muhamede ipso libere dixisset, nisi res peculiarem figuram & allusionem involveret. *)

ODE VIII.

تى جهالت عا شقا نرازد بوصل خود صلا
جان ودل افتاده اند از زلف خالت در بلا

*A quo pulchritudo tua amantibus spem dedit
copiae tuae,
G Ani-*

*) In nonnullis rarioribus tamen codicibus hi verses huic ghazeli adduntur :

Bobebeukri sobbet Esbab w aschinai bacbi
Be jad dar gariban deschr ü sabrara
In gratiam confuerundinis amicorum, & ob amorem
felicitatis (tua)
Serva in memoria exuler. In desertis & campis.
Præterea & hi :

Ciu ba babib nischini ve bade peimaii
Be jad dar mubibban badi peimara.

Quos sic verti.

*Si quando eximio cinctus amantium
Cetu, pura bipes poenia nectaris,
Esto tunc & amici
Tentillum memor exulus.*

Animus & cor inciderunt ex cincinno & nævo tuo in ærumnam.

Paraph. Ex quo pulchritudo & venustas tua amantibus spem fecit copiæ & conjunctionis tuæ, cor & animus, cincinnos & nævum tuum deperientes in infortunium inciderunt; id est: a quo forma tua egregia spectatores quosvis amore captivavit, omnium animi & corda illico nævi tui, *) & laqueis cincinnorum tuorum illaqueata & impedita in ærumnas & dolores inciderunt. Tales enim, addit Sud. sunt formosorum machinæ & doli, ut primo quidem spem copiæ illecebris pollicentes nos allicant, tum vero irretitos & captivos in vinculis detineant.

ان چه جان عاشقان ازدست هجرت میکشند

کس ندیده در جهان جز کشتکان کردان

*Id quod anima amantium ex manu separatio-
nis tuæ patitur,*

Nemo vidit in orbe præter interfectos Kerbelæ.

Paraph. Quantum tolerent amantes te ob fugam & divortium tuum, nemo unquam sensit, nisi forte illi, qui cæsi in campo Kerbela occubuerunt; vel ut Sudius, qui ibi siti extinti sunt; legit enim tescbnekan pro Kusbtegian; videlicet: dolorem & ærumnas, quas amatores tui extorres & a te sejuncti ferunt, nemo puto in hoc mundo pertulit præter illos, qui in campo Kerbela cæsi, & siti necati sunt. Hi vero sunt septuaginta illi Martyres, qui cum Hussejino filio Ali interfecti sunt. **)

For-

*) Nævos puerorum grano illicii comparant Persæ, quo avea capiuntur.

**) Kerbela campus Aks in Persia ad Euphratem situs, in quo

ترک ماکر میکند رندي و مسنهٔ جان من
ترک هستوري وز هدت کرد با يد او لا

*Formosus meus si addixerit se bacchationi & ebrietati; o anime mi!
Te nuntium dare continentiae & temperantiae oportet prius.*

Paraph. Si meus fusio crapulæ & ebrietati animalum addixerit, o anime mi! videlicet o Haphyz! te primum oportebit continentiam & temperantiam exuere, & sobrietati nuntium dare; scilicet amafius tuus, qui tibi normæ & regulæ instar esse debet, ad comediationes & helluationem animum adjiciendo, te quoque ad continentiam & sobrietatem abjiciendum compellat.

وقت عيش و موسم شادي و هنام شراب
پنج روز ایام فر صرت راغنیم تدان هلا

*Tempus voluptatum, & lætitiae, & opportunitas bibendi nunc est,
Quinque dierum occasionem lucro appone! ohe!*

Paraph. Nunc tempus & opportunitas est, voluptatum, vini, & lætitiae, videlicet veris temperitas praesto est, adeoque hanc quinque dierum, id est: brevem occasionem corripe, & lucro appone

G 2

O

casus est, atque intersectus Imam Hussejin filius Ali, nepos Muhamedis cum pugnaret contra exercitum Jezidi filii Moaviv, qui cum eo de Chaliphatu contendebat. Juxta interpretem Historie Timuri sita est gradu longitudinis 77. lat. 32. 30. Herbelot sit esse prope Cupham ad orientem urbis Casben-Hobeirah. Sudius dicit sepulchrum Husseini hodie dum ibi conspicui, & addit septuaginta numero viris, cum Husseino Ati necatos esse.

o quisquis es! nimirum: ver cito transit, ideoque dum licet oblata opportunitate utentes gaudiis & voluptatibus animum relaxare par est, & genio impigre indulgere.

حافظا کریای پوس شاه دستت میدهد

یا فقی در هر دو عالم رتبت غزو علا

O Haphyz! si pedum osculum manus tua præbuerit,
Consecutus es in utroque mundo dignitatem
honoris & majestatis.

Paraph. O Haphyz! si manus tuæ suppeditavertint, id est si contigerit te regis^{*)} amasii tui pedibus osculum figere, puta te utriusque mundi gloriam honores & dignitates consecutum esse. Etenim, inquit Sudius, formosi pedes osculari summa felicitatis participatio est. Addit præterea ghazelam banc in plerique Haphyzi Divanis non reperiri, ac in iis etiam, in quibus exstat, extra seriem post he litteram rejectam inveniri, cum tamen inquit omnes ejus Cefia (σοκαταλήξεις) saepe sint & integra, ac præcedentibus per omnia similes, & suo ordine inferendam duxi, et si raritas ejus non careat aliqua difficultate, nisi forte quod una ex primis existens in publicum edita non sit, aut quod apud privatos latens compilatorum manus effugerit.

ODE IX.

ساقیا برخیز و درده جام را
خاک بر سر کن غم ایام را

0

^{*)} Poëtae crebro venustos pueros Regis titulo condecorant ob dignitatem.

*O Pocillator! surge, & porridge calicem,
Pulverem super caput projice tristitiæ
sæculi.*

Paraph. O Pocillator! surge & poculum vini propina, & pulverem sparge super sæculi tristitiam; id est: age vino nos inebriemus, & adversitatem sæculi mero & oblivione sepeliamus, non secus ac si subitus terram condita esset.

باد درده چند آزین باد غرور
خاک بر سر نفس نافر جام را

Vinum adde, quia plerisque ex bac aura vanitatis

Terra super caput (est) malum finem fortitis.

Paraph. Cedo vinum, quia noxia est vana aura sæculi, complures inconsultos & imprudentes exitio dedit; aut ut Sudius explicat: quicunque vitam omnem vino, gaudiis & voluptatibus non impendit, tempus suum dilapidare & perdere censendus est.

ساغرمی بر کفم نه تازبر
بر کشم آین دالق از ق فام را

*Scyphum vini super palmam meam pone, ut
a me*

Avellam bunc centonem cœrulei coloris.

Paraph. Impone palmæ manus meæ scyphum vini, id est, porridge eousque dum ebrius factus lacernam hanc cœruleam a humeris meis revellam; videlicet donec furens præ ebrietate tunicam hanc monasticam discerpam, & rejiciam. His versibus infectatur poëta Scheichum Hæsan Azark-pusch ejusque

asseclas, quorum singuli pannis cærulei coloris in-duebantur, uti suo loco uberius dicetur. Adver-tendum autem, quod quotiescumque mentionem fa-cit cærulei indumenti, aut togæ, hos ipsos cavillari in animo habeat. *)

کرچه بد نا میست ذذ عاقلان
ماهی خواهیم ذذ و نام را

*Esto malum nomen babeamus apud sapientes,
Nos neutiquam querimus famam & nomen.*

Paraph. O Pocillator! quanvis vinum bibere, inebriari, tunicam discerpere & lacerare, denique revulsam abjicere, infame sit apud sapientes, quid tum, cum nos famam, honorem, & nominis commendationem non ambiamus, nec quidquam aliud pensi habeamus, quam ut vini potorum calculo adscripti hilarem vitam ducamus.

دوده سینه سوزان من
سوخت این افسردگان خام را

*Fumus suspriorum pectoris mei flagrantis
Adussit bos gelidos & crudos (viros)*

Paraph. Mei candardis, & æstu amoris incensis pectoris gemituum fumus cremavit homines illos gelidos & crudos; illos videlicet cæruleam tunicam induitos hypocritas, ut paulo superius. Etenim Poeta multas ab illis molestias est perpeccus, jurgiis & cavillis eorum oppido impeditus, uti suo loco dicetur.

*) De his & alibi Poeta in hunc modum:
Ilorum me obsequio devoveo qui bellantes sanitatem (servent)
calent.
Non illorum qui sub toga cœrulea cor nigrum gerunt.

etur. In epithetis *Esiirdekian*, & *cham*, ait Sudius, summae inertiae & stoliditatis emphasis continetur, nam utrumque epithetum in re quavis vituperabile est, maxime in homine. Vide notas.

حُسْن را زَدَل شِيدَلَى خُود
کس نَمِي بِيَنْم زَخَاصَ وَعَامَ رَا

Conscium-arcani cordis insani mei,
Nullum (dignum) video, nec inter proceres,
nec inter plebem.

Paraph. Væsanī cordis mei arcanorum consciū & participem fieri nullum dignum scio tam ex proceribus, quam ex populo; id est: nullus est in orbe mortalium, quem tuto conseū & participem secreti facere possis, & cui mentem & abdita pectoris impune recludere valeas, aut qui, ut Sudii verbis utar, *cordis tui dolorem amice leniat*, juxta hoc turcicum adagium. Söilemez - sem, ölürim, szöiler - sem raz acılır. Si non dixero dolore opprimar, moriar, si dixero, secretum divulgaritur.

بَاد لَارَام مَرَا خَاطِرْخو شَسْت

كَزْدَلَم يَكِيَا رَه بَرْدَارَام رَا

*Cum venusta *) (puella vel puer) animus meus contentus est,*

Quæ ex corde meo uno impetu rapuit quietem.

Paraph. Laudo & lubens acquiesco puellæ illi formosæ, quæ uno impetu pacem & tranquillitatem ex corde meo abstulit. Sudius ait hic sub schemate amasiæ poetam de Pirio seu Seniore loqui, & verisimiliter de Scheich Mabmud.

*) *Cordis ereptrice*: adverbia. vide notas.

فناکرد دیگر بسر و اندرون چمن
هم که دید ان سرو سیم اند ام را
*Non contemplabitur amplius cupressos in pratis,
Quicunque vidit illum cyparissum argenteæ
formæ.*

Paraph. Non amplius mirabitur proceritatem & gracilitatem cupressum in campis & nemoribus, quicunque illum eximiæ staturæ puellum conspexit; id est: ait Sudius, quicunque te speciosissimum inter homines viderit, rudes & impolitas ruris arbores mirari definet; de *sim-endam* consule notas, epithetum enim *argenteus* vim habet elegantiaæ, fere ut apud græcos, *αργυρόπεπτος* *αργυρόποτος* &c.

صبر کن حافظ بسختی روز و شب
تابیایی منتهای کام را

*Patiens esto o Haphyz! firmiter diu ac noctu,
Donec afferquis terminum ad votum.*

Paraph. O Haphyz! die ac nocte fortiter patiens esto, vel etiam duritiem & ærumnas patienter fer, ut ad ultimum voto tuo potiri possis; quia inquit Sudius juxta proverbium: *Effabril mistab-il-ferah.* Tolerantia clavis est ad latitiam. Et ut Horatius ait:

*Durum sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.*

O D E X.

فلابر فتیم تودانی ودل غم خوار ما
بخت بد تا بکجا میبرد ا بشخوار ما
Nes

*Nos discessimus, tu nosti, & afflictum cor nostrum,
Fortuna mala quo locorum deferet mansionem nostram. *)*

Paraph. Me profectum esse tu scis, & cor meum mœrore oppressum scit, id est: sentit; sed quo tandem locorum deferet iniqua fortuna mea domicilium meum (aquarium.) Querimonia est de adversa sorte, quæ illum a latere amici sui divulxit, & cum eo vivere prohibuit. Discrepat nonnihil Sudii Periphrasis, sed in summa tamen convenit. Castigat autem severe alium scholiasten, qui illud *tu dani ad secundum strophæ versum refert*, ac si esset, *tu scis*, *quem in locum mala fortuna mea removebit sortem meam* &c. De abſchbas consule notas.

فلک اواره بهر سو کندم میدانی
رشک می ایدش از صحبت جان پرو ما
Cœlum me vagum in quasvis partes effecit, tu scis,
Invidia nempe tangitur consuetudinis suavissimæ nostræ.

Paraph. Cœlum me vagum, & in quasvis partes oberrantem effecit, id est, exulem, & extorrem fecit,

G 5

fēcīt,

*) Poeta Yezdum profectus, odam hanc amico suo misit. Et antem Yezdum urbs Persiar, inclita olim, ditionis ejusdem nominis caput, & Regum sedes, quorum unius fitqueens occurrit mentio in Divano Haphyzi. Sitæ est in provincia Irak-agemi, quam interpres gallos vitæ Timur-beğkî, similitudine vocis deceptus. Hyrcaniam quinti Curtii esse assertus, cum revera antiqua Parthorum regio sit; distat ab urbe Ispahani quadraginta millibus passuum, si fides viatoribus. Sudius dicit trium dierum Spatio Schirazo distare; jacet in via, quæ Ispahano Kermanum ducit, prope æquali utrinque distantia. Vide Gazelam Ei fürugh.

fecit, tu nosti; invidia quippe & livore tangitur suavissimæ & amicissimæ nostræ consuetudinis. Nimirum ait Sudius: *Sidera, siue Fatum in eo solum ad laborat, ut amantes ab amantibus, & amicos ab amicis sejungat, & separat; adeoque quod me patrium solum vertere coegerit, non eo sine fecit, ut cum Rege Yezdi colloquio me dignetur, utque ab eo donis & beneficiis cumuler, sed ideo tantum, ut me a tuo latere avulsum segreget, & in longinas oras removeat, vidi quippe, quod inter nos discordia & dissidium extra omnem aleum sit, ac proinde arctam & indissolubilem unionem nostram ferre non valens, bac specie divortium nostrum machinatum est. Videlur Poeta his dictis excusare velle suum ad Regem Yezdi discessum, eumque fati necessitate palliare.* Refelluntur terum Schæmius & Sururius, qui nulla necessitate urgente sensum hujus versus per figuram istifbam, seu interrogationis efferunt.

زئثار هژه چون زلف تو در سر کیرم
قدمی کرت تو سلامی برسا زند بر ما

*Asperzione ciliorum, instar cincinnorum tuorum, auro obducam
Pedes (illius) qui mibi a te salutem pervenire fecerit.*

Paraph. Quicunque mihi a te salutem detulerit, illius gressus, vel pedes adinstar cincinnorum tuorum lacrymis ciliorum meorum deaurabo, id est, flens præ gaudio pedes ejus rigabo. Difficilis & dura videntur metaphora, nisi allusionem spectemus; haec autem a nuptiali orientalium festivitate petita est, in qua pro more gentium illarum aurei & argentei nummi sparguntur, & puerorum virginumque capilli filis & bracteis aureis involvuntur. Ad prium itaque usum respicit poeta in ciliorum asperzone

sione, ad secundum autem cum dicit, ita se inauratum pedes nuntii salutem ab amico suo deferentis, sicut inaurantur crines epheborum *) in festo nuptiali. Hoc neutquam observans Schæmius, vocabulo *Zer* simpliciter & sine restrictione auri significationem adscribit, & adhuc errorem longe magis auget, cum dicit *nisi muje* sic intelligi debere, quasi præ gaudio sanguineas & cruentas lacrymas sit sparsurus, nam ut bene observat Sudius, lacrymæ etiam gaudii intensi signa esse possunt, sed sanguineæ lacrymæ non nisi summi doloris indicia sunt, hic autem de lætitia sermo est.

Idem Sudius notat, & citationibus fulcit, *Zer* non semper aurum significare, sed etiam pro quavis pecunia accipi: paribus testimoniis auctorum ostendit, aurum deaurationi serviens, sive purissimum *Zeri tyla* vocari, & inter alia quatuor versus ex Sadii *rosario* adducit, ex quibus patet, olim in Persia etiam pecuniam ex corio in usu fuisse. Versus hos sic verto:

*Vir doctus auro comparatur optimo,
Cujus perinde quovis est pretium loco;
Indoctus instar nummi erit coriacei,
Cujus valorem nesciunt extranei.*

هدعا امده لم هم بداعا دست برار
که وفا با تو قرین باد و خدا یاورما
Ego ad proces venio (age) tu quoque ad proces manus extolle,

Ut

*) Eundem ornatum fuisse pueris priscorum Periarum anchora est Strabo l. 15. κοσμήτας οἱ πατέρες χρυσῷ τῷ πυρωπὸς τιθεμέσιν ἐν τιμῇ.

Ut fides tibi sit comes, & Deus adjutor noster.

Paraph. Ego ad preces & vota venio, age tu quoque supplices palmas ad cœlum tende, voveo autem, ut fides & constantia semper te conitentur, & ut utriusque nostrum adjutor & protector sit Deus. Hac stropha inquit Sudius, continetur solennis val- dictio Poëtæ sodali suo facta.

کرمه خلق جهان بر من و تو حیف کنند
بکشد از همه انصاف ستم داورها

Si totius mundi populus mibi & tibi injuriam intulerint,

Sumet ex omni ultiōem injuria Jūdex noster.

Paraph. Si totum humanum genus mihi aut tibi injuriam intulerit, impune non erit, quia Jūdex & vindicē noster Deus sumet de omni injuria vindictam, cuius præsidio & auxilio se jam superius commendavit; vel etiam imperative: sumat vindictam Deus &c. & tunc phrasis vim habet imprecationis. Redarguuntur hic iterum Schæmius & Suturius, qui *Insaf ve sitem*, sed inepte scribunt, cum *Insafi sitem* sit ultio injuriæ, idque sine *vau*.

بسربت کرم خالق عالم بسرم تیغ زند
نتوان برد هوای تو برون از سرما

Per caput tuon si totus mundus super caput meum ensim strinxerit,

Non poterit evellere amorem tuum ex capite meo.

Paraph. Testor caput tuum, si mundus univer-sus, videlicet totum humanum genus enses stringeret in

*in caput meum, nunquam efficeret, ut amorem tuum
a meo pectore dimoveat; quia ut addit Sudius,
amor tuus mibi innatus est, non est adventitus, & for-
tuitus, sed conjunctio animorum nostrorum ita a natura est
comparata. Negat tamen ba primum vim habere ju-
ramenti, aitque simpliciter æquivalere præpositioni,
propter, cui non ausim assentiri.*

روز باشد که بیاید بسلامت یارم

لی خوش آن روز که اید بسلامتی بدم

*Dies aderit, quo adveniet cum salute amicus
meus,
O felicem diem illum, quo veniet cum salute
ad me.*

Paraph. Veniet utique dies, quo iterum sodalis meus ad me salvus & incolumis revertetur; O fortunatum diem illum quo me salutans adorietur & compellabit; vel ut Sudii verbis utar: Beatam lucem illam, qua Sodalis mibi Selamini aleikum dicens, ad partes meas veniet, verbo: veniet tempus, & fiet, ut ego ex itinere redeam, utque amicus meus ad portam mibi occurrens consueto more salutandi me excipiat. Potest etiam in eo sensu accipi primus versus, ut sit: Proh venietne unquam dies illa, qua ad me amicus cum salute veniat &c.

قا زوصت رخ زیمای تو دم زد حافظ
ورق کل حجل است از ورق دفتر ما

*Quamdiu laudem genarum tuarum mitentium
spirat Hapbyz,
Folia rosæ pudore-erubescunt præ foliis libri
mei.*

Paraph.

Paraph. Quamdiu Haphyzi carmina laudem & encomium venustæ tuæ faciei spirabunt, id est, quoadusque Haphyz nitentes tuas genas carminibus suis celebraverit, folia rosæ coram foliis libri illius erubescunt, & pudore suffundentur. Poëtica fane imago, quasi rubor rosarum ex æmulatione, & zelotypia foliorum Haphyzi contractus esset, ac insuper hyperbolica carminum Poëtæ laudatio, utpote qui suarum paginarum elegantia rosis pudorem intulerit. *)

O D E XI.

صلح کار کجا و من خراب کجا
بین تفاوت ره کز کجا یتا بکجا

*Integritas ubi est? Et mei devastatio ubi?
Vide discrimin quantum sit inter utramque
viam.*

Paraph. Poëta licentiosam suam vivendi rationem cum piorum Religiosorum instituto per jocum & lusum componens, & contraria contrariis opponens, tanquam meditabundus ex abrupto sic orditur: Ubi est probitas & morum integritas, ubi mea vinolentia & liguritio, vide, quæso, quanta sit & quam

*) In Sudii exemplari aliud est Schahi Beit, hoc modo:
*Her ki Kujed Sepbez dur ne dared Haphyz,
 Ku divazi sepber ne bürd ser en seri ma.
 Quicunque dixerit, iter Haphyzi longum non eß,
 Die illi, longitudo via ex capite nostro non excessit.*

Idest, via ad æternitatem, quæ via est sine termino, ex memoria mea nunquam recedit, atque quotidie iter meum prosequor. **Nota:** Si hic primum ser desiderium & cupidinem significat, tum hic erit sensus: Via longæ desiderium nunquam ex memoria mea elabitur.

quam enormis inter utramque vitæ rationem distan-
tia & disparitas. Id est: Proh quantum discrepat
meum, a piorum ac religiosorum vivendi instituto,
quorum illi morum sanctimonia & probitate clarent,
ego autem vino & crapulæ sum deditus. Addit Sudius
poetam innuere, quantum intercedat discriminis
inter tramitem amoris & continentiae. *)

چه نسبتست برندی صلاح و تقویرا
سماع و عظ کجا نفعه رباب کجا

*Quæ est congruentia crapulæ cum continentia,
Auscultatio concionis ubi? concentus fidium
ubi?*

Parapb. Priorem sententiam corroborans dicit:
Quid commune est temulentiae & libidini cum san-
ctitate & continentia, quantum discrimin inter au-
scultationem sacræ concionis, & phthongos ac sonum
cytharæ aut fidium; videlicet: Proh quantum di-
screpant inter se studium voluptatum ac luxus cum
sanctitate & temperantia, auscultatio item homilia
sacræ cum sono & concentu fidium. **)

دلم زصویه بکرفت و خرقه سالوس
کجاست دیر مغان و شراب ناب کجا

*Cor meum a sacrario abborret, & a centone
Hypocritæ,
Ubi est ædes cauponis? vinum purum ubi?
Parapb.*

*) De metro hujus versus consule notas.

**) Vide notas de scriptio[n]e & pronunciatio[n]e perfectæ τε
ia in tetra.

Paraph. Cor meum a sacrario abhorrere cœpit, id est, fastidium me cœpit ædium sacrarum, vel etiam cœnobii, & pannosum monachorum hypocritarum cilicum abominor; videlicet tædet me vestis monachorum, quos hic vocabulo hypocritarum designat; agite, dicite, ubi est claustrum cauponis, id est, taberna vinaria, quam sic per derisionem seu scomma joculariter vocat, dicite, ubi est purum & purpureum vinum? verbo: austeritatis & hypocriseos monastice sum pertensus, 'amorum ac voluptatum studio teneor.

بشد که یاد خوش باد روزگار وصال
خود ان کر شده کجا رفت و آن عتاب کجا

*Elapsum est tempus coniunctionis, cuius recordatio felix sit,
Illæ blanditiæ (pueri) ubi nunc sunt, & illæ objurgationes ubi?*

Paraph. Tempus anteactum coniunctionis animalium nostrorum cum amasio, cuius memoria felix fit, transiit & evasit, ubi nunc blanditiæ illæ & illecebrosi pueri mei? ubi illius jurgia? Poëta tractatæ ætatis felicitatem memoria recolens, præterita bona, gaudia, & amores in mentem revocat, eorumque jacturam queribundus commemorans, dicit: Ubi sunt nunc illa fortunata tempora, quibus prospero semper & secundo amore fruebas, ubi nunc motus illi illecebrosi & lascivi pueri mei, ubi juria & criminationes amantum. Sic fere Horatius

I. 4. od. 13.

*Quo fugit, Venus, beu, quo ve color decens?
Quo motus? quid babes illius, illius,
Quæ spirabat amores,
Quæ me surpuerat mibi.*

Multa

Multa eaque virulenta hoc loco memorat Sudius, de sua cum Schæmio, altero hujus poetæ Scholiaсте, altercatione, qui voci *jad* erronee *Kes-ram* subscriptis, quæ omnia hic referre abs re foret. Hoc unum e re nata animadvertere nihi liceat, tam ex hoc loco, quam ex plurimis aliis, in quibus Schæmio & Sururium poetæ hujus interpretes, suosque conterraneos acerbissimis quibusve conviciis infectatur, jure argui posse, eandem esse ubique terrorum grammaticorum indolem, & ingenium ad cavigillationes & jurgia proclive, quibus nihil est antiquius, quam ut se invicem mutuis contumeliis lacerrent, & maledictis proscindant. Sed vitium hoc naturæ humanæ aliqua ex parte condonandum est, de cætero autem Sudius omnibus numeris absolutus est interpres, suisque æmulis citra invidiam anteponendus.

زروی دوست دل دشمنان چه دریابد
چراغ مرده کجا شمع افتتاب کجا

Ex vultu amici cor inimicorum quid colligit?

Lycenus extinctus ubi? fax solis ubi?

Paraph. Quid assequuntur inimici, sive æmuli mei ex facie amici mei, id est, quid inde luminis aut fulgoris capere possunt? Ubi enim est extinctus lycenus, ubi solis fax? nimirum: cor & amorem æmulorum extinctæ lampadi aut candelæ comparans, & vultum amasii sui solis faci, sic infert: Quid luminis potest pervenire ex fulgida facie amici mei ad fumosa & tenebrosa corda æmulorum? illud nempe, quod extinctus lycenus a solis face capere potest; videlicet quam parum lycenus vel lampas extinctæ a sole potest reaccendi, tam parum possunt æmuli meorum hebetia & *ārāpōdīta* pectora amore incendi.

H

Cum

چو عکل بینش ما خاک استان شماست
کجا روید بفرما ازین جناب کجا

*Cum collyrium lumen nostrorum, sit terra
liminis vestri,
Quonam eamus, impera, ex hac parte, quo-
nam?*

Paraph. Quandoquidem pulvis liminis tui collyrium & medicina oculorum meorum est, jube & impera, quonam mihi eundum sit ex hac aula. Nontandum metaphoram hanc a consuetudine prosterendi se profluere, more apud gentes orientis recepto, dum nempe honoris & reverentiae ergo coram summis viris ac Principibus capite & facie humum contingunt, unde & illa vulgaris loquendi formula: *faciem in pulvere pedum prostertere*, pro salutare, venerari. Atque adeo dicit: Cum omne lumen & solatium oculorum meorum in pulvere liminis aulae tuae sit, jube, quo me hinc concedere velis, semper enim domus & solii tui limen sequar, nec ab eo amplius quavis de causa recedam. Sudius inquit distichi hujus sensum tales fere esse: *Oculos nostros aperiuiimus, et hoc limen vidimus, buic nos usque ad mortem devovemus, neque unquam alio concedemus.*

میین بسیب زخدان که جاه در راهست
کجا هی روی ای دل بدین شتاب کجا

*Cave, aspicias pomum menti (pueri) quia fo-
vea est in via,
Quorsum properas o anime! cum hac festina-
tione, quorsum?*

Paraph.

Paraph. A mento pueri, ponai speciem præferente, averte oculos, & noli illud temere contemplari, nam in illa via fossa latet abscondita, vide licet scrobs menti; quo festinas mi anime cum tanto impetu, & quo te præcipitem dare pergis; nimirum cave, ne nimium properanter & cum festinatione ad mentum formosi contendas, ne te præceps in foveam, quæ in mento est, conijicias. Addit Sudius: Cuve, ne in foveam incidens, in perpetuo carcere detinearis, sunt quippe corda puerorum, stylo Poetarum, carceres, uti cincinni eorundem laquei, vincula, & catena, quibus quis irretitus fuerit, non iterum libertatem consequetur, itaque si captivus esse detrectas, ab illa parte oculos deflecas, est necesse. Mentum puerorum malo communis & etiam cydonio assimilari, alterius adhuc Poetæ auctoritate probat Sudius, & Sururium reprehendit dicentem Ciab hic puteum significare.

مقار وصبر زحافظ طمع مدار ای دوست
قرار چیست صبوری کدام و خواب کجا

Constantiam & patientiam nolite petere a Haphyzo o amici!

*Quid est constantia, ubi patientia, & somnus
ubi?*

Paraph. Fortitudinem, constantiam, & parem ferendis malis animum a Haphyzo ne requirite o amici! Quid enim est constantia, ubi patientia, aut ubi somnus? Videlicet hæc & similia apud amantes locum non habent, cum præcipui væsanis amoris comites sint curæ, sollicitudines, vigiliæ; utitur autem figurâ *Istifbami inkiuri* apud arabes notâ, sive interrogatione negativa, quid est constantia, ubi patientia, ac si diceret, neque quid constantia aut patientia sit, scio.

ODE XII.

پلازمان سلطان که رساند این دعا را
که بشکر پادشاهی رنظر همان کدارا

*Ad Ministros Regis quis pervenire faciet has
preces,
Ut propter asnorem Regiae dignitatis a conspe-
ctu ne arceas egenos.*

Paraph. Quis pervenire faciet has preces ad ministros & familiares Regis, ut ille, videlicet in consideratione Regii muneris, nos pauperes & egenos a conspectu suo non arceat. Sudius dicit hic per Regem iterum amasium subintelligi, ac proinde sic explicat: quis deferet supplices meas preces ad familiares & necessarios formosi pueri, ut in gratiam regiae dignitatis, id est pulchritudinis, me miserum amantem a conspectu suo non arceat.

زقیب دیو سیرت بخدای خون پناهم
مکران شهاب ثاقب مددی کند سهارا

*Ab æmulo diabolicis moribus - prædito, ad
Deum ipsum configio,
Forte illud astrum ardens opem feret pusillæ
stellæ (id est nibi) vel in Studio :
propter Deum.*

Paraph. A diabolicæ indolis æmulo seu rivali
meo ad Dominum *) meum configio, id est ad meum
amasium, fiat, ut illud astrum forte & ardens me
pusil-

*) Duobus veribus probat Sudius *Cbuda* apud antiquiores Poetas significare Dominum simplicitatem.

pusillam stellam tueatur & defendat contra inimici technas. Est autem Schibah *) astrum insigne, & primæ magnitudinis fulgore præditum, cuius virtutem amico suo tribuit ob excellentiam, contra *Siba* est stella illa minor & obscurior in ursæ majoris constellatione, quæ in quadriktatero duarum in coxa existentium australior est; sub cuius specie se ipsum denotat Poeta per modestiam. Metaphora hæc non obscure innuit commento aliquo orientalium stellam illam *Siba* in alicujus majoris astri tutela servari, uti ad hoc allusionem videtur facere auctor. Nec dissimili figmento, referente Hygino, Bootes cum matre Callisto in cœlum est translatus, & illi velut custos appositus, unde & Arctophylax dictus. Sudius pro *Siba* Chuda legit, & sic interpretatur: *Forte mibi opem feret astrum illud ardens propter Deum, vel ob amorem Dei.* Notat tamen in nonnullis codicibus *Siba* reperiri.

چه قیامت اسست و قامت که بعاشقان نمودی
دل عاشقان ریودی زکه دانم این بلا را
*Quis tumultus est ob staturam, quam amantibus
ostendisti?*

*Cor amantium uno-ictu-surripuisti, quis mibi
causam dicet bujus infortunii?*

Paraph. O dilecte puer! quis iste tumultus est,
quæ hæc confusio, quam tu excitasti speciem corpo-
ris tui amantibus exhibens? & uno ictu cor & spiri-

H 3

tum

*) Et etiam meteorum illud stellæ cedentis, de quo multa fa-
bulantur; & Heros fortis, strenuus &c. Sudius dicit esse *Siba*
parvam quandam Hellam pone septentriones, qua mediante ho-
mines aciem oculorum experiuntur.

tum te intuentium surripiens? quæ, obsecro, est origo tantæ cædis, aut quis mihi rationem reddet hujus infortunii? Aliter legit stropham hanc Sudius, & illius lectionis hic est sensus: Quæ hæc insurrectio est o formose! postquam te amantibus tuis monstrasti, nimirum illi viderunt faciem tuam ad instar Lunæ fulgidam, & Cypressi staturam cor rapientem. De Kiamet vide notas, quæ proprie quidem resurrectio est mortuorum, sed metaphorice tumultus, confusio &c.

دل عالی بسوزی چون عذار بر فروزی
تو ازین چه سود داری که نمی کنی مدارا

*Cor hominum cremas, quando genas tuas accendis,
Quid ex eo lucri capis, quod non sis mansuetior.*

Paraph. Quando tuæ genæ inflammantur, id est, rubore accenduntur, omnium hominum præcordia uris, id est, amore incendis, quid, quæso, emolumenti te manet ex tanta inclemensia? nimirum, inquit Sudius, dum te exornas, & pulchram speciem induis, contemplantes te redigis ad insaniam, & amore maceras, & sic demum oppressos deseris, annon hæc saevitia est, aut quam, quæso, utilitatem capis ex dolore & tormento amantium? de mūdara consulte notas.

منزه سیاهت ارکرد بخون ما اشارت
ز فریب او بیندیش و غلط مکن نکارا

Si cilia tua nigra in sanguinem meum nutum dederunt,

Illo-

*Illorum fallaciam perpende, & culpam noli
admittere o venuste!*

Paraph. Si nigricans cilium tuum nutu sanguinis mei effusionem petiit, nempe si oculi tui in meam necem conspirarunt, cave, o formose! a lumine tuorum fallacia, ne te in errorem inducant, neve innocentem sanguinem spargas. Vel ut Sudius: *Si tua nigra cilia nitu sanguinem meum fundi innuerunt, teque dolo ac fraude circumvenire & decipere voluerunt, eorum astutia falli cave, nam si iis obtemperans nos occideris, pænitentia duceris, quia nobis similis amator non amplius tibi continget.*

زفریب چشم جادو دل دردمند خون شد
نظری کن ای عزیز که چه کونه کشت مارا

*Ex præstigiis oculorum (tuorum) veneficorum
cor meum ægrum crux repletum est,
Intuere o excelse! quo pacto nos interfeceris.*

Paraph. Tuorum veneficorum luminum præstigiis, & fascinatione cor meum miserum sanguine oppletum est, vide, quæso, o eximie! quomodo repente spiritum meum evocaveris; proinde addit Sudius: *Medicina conjunctionis iterum nos ad vitam revoca.*

نه شب درین لمیدم که نسیم صحکاهی
به پیام اشنایان چنوازد اشنا را

*Tota nocte in bac spe sum, quod aura matutina
Cum nuntio amici me demulcebit amice.*

Paraph. Hoc unum solatur me tota nocte per vigilem, & lactat spe inani, quod ventus auroræ bono aliquo nuntio de amico meo me recreabit, videlicet quod ille mihi copiæ & conjunctionis ejus

nuncium adferet. *Aſchinajan* pluralis pro singulari honoris ergo. De Zephyro Poetarum & amatorum nuntio jam ſæpius dictum.

دل درد نهاد حافظ که ز هجرت نست پرخون
چه شود اکر زمانی برسد بوصل مارا

*Cor afflictum Hapbyzi quod (nunc) ob separationem tuam crux plenum est,
Quale erit, si quando pervenerit ad conjunctionem, o amice?*

Paraph. Cor ægrotum & desolatum Haphyzi quod nunc ob divertium tuum sanguine manat, in quo statu futurum est tunc, cum ad tuam conjunctionem pervenerit? nempe: si tantus est dolor & tristitia a te ſejunctum & separatum vivere, quantum vicissim erit gaudium & lœtitia conſpectu tuo frui, tuoque conſortio potiri.

O D E XIII.

دل همیروند ز دستم صاحب دلان خدا را
دردا که راز پنهان خواهد شد اشکارا

*Animus me fugit, o viri cordati! per Deum!
Heu (cavete) ne arcanum reconditum palam fiat.*

Paraph. O Cordati & mentis compotes viri, me animus linquit & cor ex pectore fugit, at vos proh dolor! advertite per Deum, ne quo pacto ſecretum amoris haſtenus reconditum divulgetur & palam fiat, vel ut Sudius: O poffeffores cordium! animus mihi ex manu elabitur, adferte aliquam medelam per Deum, alias, proh dolor! ſecretum amoris divulgarit; videlicet ego, quem mens & animus fugit, arca-

arcانum amoris celare amplius non potero. Quocunque modo intelligatur, inquit, evidens est, quod sit petitio subsidii a cordatis viris, ut possessionem amati ope sua adjuvent.

گشته نشسته کانیم ای باد شرطه برخیز
باشد که بازیم دیدار اشنا را

*Navis nostra in vado bæsit, o vente secunde
surge!*

Fiat, ut iterum videamus faciem amici.

Paraph. *Navis nostra in syrtes & vadum impegit, o vente secunde!* id est, ex opposito flans, surge, videlicet exoriens spira, sic fiet, ut iterum vulturn sodalis mei videre mihi contingat. *Navis in vado residens*, ait Sudius, significat angustias cordis & animum dolore oppressum, nam illi, quorum navis in vado subsedit, mærore & formidine replentur, per ventum secundum autem vir cordatus & consilio fortis intelligi potest, uti in superiori stropha jam præcessit, & tum hic erit sensus: O mibi & statui meo opportune vir consilio, animus meus vehementi dolore & tristitia oppressus est, fer precor opem, ut sodalis mei pulchritudinem cernens ab ærumpna cordis mi liberer. Monet præterea figuratam esse banc locutionem, cum Hapbyz toto sua vita tempore nusquam concesserit ultra urbem Jezdi, ut suo loco dictum est, in itinere Jezdi autem mare nullum occurrat. Addit præterea per subdentes cum navi se ipsum intelligere Poetam, ac plurali numero uti pro singulari more apud Persas recepto.

ده روزه امیر کردون افسانه است و افسون
نیکی بجای یاران فرصت شمار یارا

*Decem dierum cœli favor fabula est & dolus,
Beneficii unius erga amicos occasionem corripe
o amice!*

Paraph. Cœli decem dierum favor, seu siderum brevis ad nutum tuum circumvolutio, anilis fabulae instar est, & fraudis ac doli plena, ideoque bonum unius diei inter amicos lucro appone, & horæ instantis occasionem corripiens hic amico gaudio perfruere. videlicet: fallax est fortuna, & dona ejus fluxa sunt & inconstantia, quod & Horatius queritur :

*Fortuna sœvo lata negotio
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc nibi, nunc aliis benigna. l. 3. 29.*

De effane, & effan, deque usu particulæ giae apud Persas Schirafios vide notas.

در خلق کل و مل خوش خواند دوش بلبل
هات اصیوح هیوا یا لیپا لشکارا

*In confessu rosarum & vini bene cecinit hesterne nocte Luscinia:
Adferte vinum matutinum, & parate o potatores!*

Paraph. In hesternæ noctis confessu inter vinum & rosas sic suaviter cecinit Luscinia, dicens : Heus ferte & parate vinum matutinum, id est, mane bibi solitum, o sodales vini potores ! De singulis versus hujus arabici verbis consule notas, cujus variante lectione sensus hic etiam esse potest : vinum matutinum amissum est, id est, tempus τοῦ Σαβουθ elapsum est, agite, evigilate ! expurgescimini o bibuli potatores ! Notat Sudius τὸ Σικκάρα plurale videlicet τὰ Sek-

Sekkeri propreo quidem ebrios & temulentos significare, sed hic simpliciter pro vini potoribus accipi, cum ebrii ad parandum aliquid neutquam sint idonei.

ان تلخ وش كه صوفى ام الخبرايش خواند
لشهرى لنا واحدى من قبلة العذارا

Illa subacida res, quam Propheta matrem scelerum vocat,

Gratior est nobis & dulcior osculo virginis.

Paraph. Liquor ille asper & subacidus, nimirum vinum, quod Propheta noster matrem scelerum vocat, suaviorem & dulciorum gustum excitat in palato nostro, osculo virginali, id est: per me licet appellat vinum Propheta matrem omnium criminum, nihil obstat tamen, quin meo ori æque gratum sit ac suave, ac virginis osculum! Derisio & fugillatio esse videtur effati illius Muhammedis, quo vinum *ummul chabais, matrem scelerum* nuncupavit, ideo quod vinosi & ebriosi ad flagitia quævis sint proclives. Sed haec & his similes explosiones sacri textus oppido sunt frequentes apud hunc auctorem, maxime cum de potionе vini lege Prophetæ vetitâ agitur. Interpretes tamen plerique, virtuti & famæ Poetæ consulentes ad mysticam interpretationem recurrent, & futili plane ac insulsa circumlocutione similia loca ad sensum religiosum ac divinum detorquent. Sudius ipse, qui cæteroquin est candidior, pietati Haphyzi adstipulari nititur, & dictorum hunc esse sensum suspicatur. Res illa aspera, nimirum Prophetæ dicta & effata, nobis dulciora & suaviora sunt osculo virginis, & quidquid ab illius ore processit, gratum est nobis & acceptum, proinde & effatum illud, quo vinum scelerum matrem vocat. Versus secundus hujus strophæ totus est arabicus, & Sophi non ut alias ascetam, sed

trans-

translate Prophetam Muhammedem significat. Reliqua vide in notis.

آیینہ سکندر جام می اسٹ بنکر
تا برتو عرضہ دارد احوال ملک دارا

*Speculum Alexandri poculum vini est, inspice
hoc,*

Ut tibi exhibeat fata Regni Darii.

Paraph. Scyphus vitreus vini vere pro celebri illo Alexandri speculo haberi potest, converte huc oculos, ut videoas in eo fortunam & fata Regni Persiae. De speculo Alexandri, inquit Sudius, rotu & per-vulgata est traditio, fama est autem, Darinni cum Alexandro de regno armis contendente speculo mirifico usum fuisse, ut technas & dolos adversarii irritas redderet, quod & tam diu ex voto cessisse ferunt, dum confitio in omnem eventum speculo, providentia sua insidias Alexandri a se repulit. Quo cognito Alexander a Philosophis & Sapientibus, quos in comitatu habuit, consilium petiit, & ad excogitandum aliquod artificium stimulavit, quo & ipse quovis tempore statum & negotia Regni Darii perspecta haberet, cuius mandato obtemperantes Philosphi Alexandria super ingenti columna speculum magicum exerunt, in quo septem mundi climata conspici possent, adeoque de hoc speculo loquitur Poeta in primo banisticio, in secundo autem per vitrum vini innuit illud giammi gem, five giammi gihan niima, quod est, vitrum mundum exhibens. Reprehendit Schæmum Sudius, quod secundum strophæ versum hoc modo extulerit: *Inspece hoc poculum, ut videoas fortunam & interitum Regni Darii, & temere dictum putat, ex eo quod Poeta solam felicitatem in vino reperiri posse arbitretur.*

کشمکش کوش و مسٹی
Tem-

کین گیهای هستی قارون کند کدارا

*Tempore angustiæ lætitiaæ operam da & vino,
Nam hæc chemia substancial Carunum facit ex
paupere (id est divitem.)*

Paraph. Quocunque tempore te a pauperie & egestate premi senseris, ad vinum & hilaritatem con fugi, & potui operam da, nam hæc est vera Chemia, quæ ex paupere locupletem efficit, videlicet Bacchus est lætitiaæ dator, & qui vino aliquantis per madent, sorte sua contenti sunt, nec Regibus ipsi evident, adeoque divites censendi sunt. Est autem Carun traditione orientalium nomen unius ex agnatis Molis, quem opulentissimum fuisse dicunt; historia illius in commentariis Alcorani exarata legitur.

سایش دوگیتی تفسیر این دو حرفست
بادوستان هرودت بادشنان مدارا

*Tranquillitatis utriusque mundi explanatio bis
duabus litteris (continetur.)*

*Cum amicis benevolentia, cum inimicis diffi-
mulatio.*

Paraph. Quid ad pacem & tranquillitatem hujus & alterius mundi requiratur his duabus litteris, id est, paucis hisce verbis continetur: Cum amicis amicitiam cole, cum inimicis dissimula. Vel ut Sudius, cum amicis conitas & affabilitas, cum inimicis dissimulatio & circumspectio. Quæ qui bene observaverit, nullam in mundo calamitatem experietur. Addit præterea, duas litteras dici ab Auctore, quod pauca verba, sed multum sensum complectatur hæc sententia.

درگوی ذیکنامی مارا کذر ندادند

In

کردنی پسندی تغییر کن قضا

*In vico boni nominis nobis transitum non con-
cesserunt,
Si tibi hoc non placet, corrige (si potes) fa-
tum.*

Paraph. In vico boni nominis transitum nobis negarunt, id est, inter sanctos & electos locus nobis ab æterno assignatus non est, ut bonum & clarum nomen adipisci mereamur, si tibi o cavillator hoc displicet, æternae Dei decreta iminuta. Videlicet si potu & voluptatum studio malam famam mihi peperi, aut quis meis factis gravatur, per me licet fatum corrigat.

اے صاحب کرامت شکرانہ سلامت
روزی تقدی کن درویش بینوازا

*O Domine gratiarum! respectu felicitatis (tuæ)
Uno die scisciteris (saltæ); de paupere stipe
destituto.*

Paraph. O gratiarum & munerum dator, per tuam te ego incolumitatem obtestor, ut aliquando tandem scisciteris, & statum explores mei pauperis stipe destituti. Sudius dicit: *Dominum gratiarum referri ad amasium, Dervischum vero, sive pauperem ad Poetam.* In nota tamen marginali per *Dominum gratiarum* intelligi dicitur *Kavum-eddin Hæsan*, de quo jam superius mentio facta est.

خودان پارسی کو بخشد کان عمرند
ساقی بشارتی ده پیران پارسارا

Formosi perfice loquentes vitæ datores sunt,

O Pocillator bonum-nuntium da senibus ascetis.

Paraph. Venusti pueri linguâ persicâ utentes, vere sunt vitæ datores, o Pocillater! grandævis illicis solitariis bonum nuntium fer, & dic, ut veniant, utque talium puerorum servitio addicti, persice sermocinantes audiant, & recentem juventam adipiscantur. Sudius, quem Turcam licet, persico sermone nimium quantum delectatum fuisse par est credere, hæc verba addit: *Et quicunque dixerit, ut Deus Sudio talium formosorum consortium tribuens, novam juventam conferat, illi Deus requiem & misericordiam largiatur.* Innuit ergo his dictis Haphyz tantam infusæ linguæ persicæ dulcedinem ac suavitatem, ut non tantum voluptatem, sed ipsam etiam vitam augere valeat. In *Parsi* & *Parisa* lusus est verborum.

سُوكش مشو که چون شمع از عیردت بسوزد
دلبر که در گفت او نوشت سنگ خارا

Refractarius esse noli, quia ad instar facis zelotypia te comburet,
Formosus (ille) in cuius volâ ceræ instar est silex.

Paraph. In amore pervicax esse noli, quia si te pervicacem senserit, zelotypia sicut facem cremabit, & torrebit puer ille, cujus tantum est robur, ut in manu ejus filices velut cera liquefcant. *Nimirum, inquit Sudius, lenitas, mansuetudo, & voluntati amatis abfoluta obtemperatio conciliant amorem, contra vero morositas & tergiversatio teporem & refrigerationem inducunt.*

حافظ بخود نپوشید این خرقه می الود
ای شیخ پاک دامن همذور دار مارا

Ha.

Haphyz non sponte induit hunc centonem vino-pollutum,

O Præful incontaminata veniam concede nobis.

Paraph. Haphyz non sponte, nec suo arbitratu tunicam hanc vino inquinatam induit, id est, non voluntario vestem monasticam vino foedavit, sed æternis Dei decretis coactus vinolentia se addixit. Tu ergo o illibate Antistes fortem meam perpendens a maledictis abstine, & lapso veniam concede. Sudius ait esse commutationem personarum tertiae, videlicet pro prima, & absentis pro præsenti ac si esset: *Ego, qui Haphyz sum, non meo arbitratu vini potor & meri cultor factus sum, sed potius siquid tale ago, facultate mibi concessa utor.* Citat præterea alterius poetæ distichum sententiam hanc corroborans, quod sic habet:

Ego seu spina sim, seu rosa, campi ornatum constituo, Qualem ex illa manu, quæ me educavit, accepi.

Videlicet quas mihi Creator partes tribuit, illas adimpleo. Non abs re futurum arbitror recensere hic, quæ Sudius in hunc locum adnotavit: *Nonnulli, inquit, putarunt Haphyzum vestis-vino-inquinata vocabulo se- Etiam illorum perstrinxisse, quos Arabes melamijs vocant, videlicet, qui animo vere religiosi sunt, exteriori autem specie nequam & discoli habentur, quod absit, cum viro- rum illorum sanctitas & integritas tam bene asserta sit, ut ne minima quidem impuritatis aut immodestiae labore ad- spergi posse videantur; nam & Hazreti Mollai-rum ex eo- gum numero fuit, & tamen de illius morum ac vita san- citate non anceps est opinio, aut quis unquam palam vel occulite actionem minus honestam ab eo patratam esse vidit aut audivit &c.* Quæ de metro hujus ghazelæ, deque natura ἴσονα ταλανῆς prolixè tradit hoc loco Sudius, vide in notis.

ODE XIV.

ای فروغ ماه حسن از روی رخشان شما
آب روی خوبی از چاه زندگان شما

O (puer) *splendor pulchritudinis lunæ ex tua facie nitenti est,*
Decor venustatis ex scrobe menti tui est.

Paraph. O Formose puer! quemadmodum luna lumen & splendorem suum a sole mutuatur, sic pulchritudo omnis a tua nitenti facie procedit, & decor omnis ac venustas ex puteo, id est scrobe menti tui prefluit, nimirum in fovea menti tui veneres & gratiæ nidulantur; verbo: tu archetypon es pulchritudinis, & formosi quique speciem & decorem a tuo vultu mutuantur, ut luna lumen a sole.

کی دده دست این غرض یارب که هدستان شوند
خاطر^م جمیع ما زلک پریشان شما

Quando potiar voto hoc Deus bone! ut simul eveniant
Animi mei collectio, & cincinnorum tuorum dispersio.

Paraph. Bone Deus! quandonam sperem desiderium hoc meum exitum sortiri, ut uno eodemque tempore ego animum colligam, & tui cincinni spar-gantur? Sudius ait esse figuram *Istibami inkiai*, interrogationem nempe pro negatione: quandonam fiet? id est nunquam sane fiet, implicat enim, namque animi mei collectio ab antiarum tuarum crispitudine & con-gloreratione pendet, qua si dispergantur, etiam animus diffunditur & dispergitur &c. Nota præterea ja rebb hic simpliciter loco interjectionis exclamantis esse ut, proh, papæ.

عزم دیدار تو دارد جان برابر امده
باز کردد یاد را ید چیسب فرمان شما

Desiderio conspectus tui tenetur anima (mea)
Et ad labrum ascendit,
Iterumne redeat, an exeat, quod est manda-
tum tuum?

Paraph. Anima mea tui videndi cupida ad labrum ascendit, & nunc tota a tuo arbitrio pendet, quidvis jube, & impera, sive ut exeat & me exanimem relinquat, sive etiam ut revertatur & corpus meum animare perget. Vel ut Sudius ait, visne, ut animam tibi immolem, & tui amoris victima cadam, an vero animum mihi reddendo vivere teque amare me mavis. Non absimile est illud Platonis in Agathonem puerum.

τὴν ψυχὴν Αγάθωνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν ἔιχον,
ηλθε γὰρ οὐ τλήμων ὡς διαβησομένη.

Agathonem basians, animam super labris habui,
Venit enim misera, tanquam transitura, (in illum.)

Ber ajed in stricto sensu est: *ascendit*: sed hoc loco exit, migrat, significat; in persico codice pro *ber ajed* est *der ajed*. de reliquis vide notas.

دل خرابی میکند دلدار را آکه کنید
زئهار ای دوستان جان من و جان شما

Cor (meum) ruina collabitur, Dilectum) (de
boc) certum reddite,*
Cave-

*) Ad verbum: *cordis possessorem*.

Cavete o amici! anima mea est ut anima vestra.

Paraph. Cor meum præ dolore faticit & ruinam minatur, agite de hoc amasium cordis dominum admonete, cavete vobis o amici! quia anima mea eadem est cum anima vestra, & quidquid animo meo acciderit, idem & vestris animis evenire est necesse, vel ut ait Sudius, cor meum anxium & perturbatum genitibus & suspiriis totum orbem complentibus funditus evertitur; at vos Sodales! dicite illi cordium Domino, ut vestra anima miseratus, nos a simili perditione liberet & immunes reddat. Particula zinbar, quæ admonentis est, potest tam ad charabi mi-kuned, quam ad Akeb kuned referri.

دور دار از خاک و خون دامن چو برمابکدری
کندرین رو کشته بسیارند قربان شما

*Remove a terra & sanguine limbum-vestis-tuae cum penes me pertransis,
Quia in bac semita imperfectæ multæ sunt victimæ tue.*

Paraph. O dilecte puer! si te contigerit ad nos gressum ferre, & ad limen nostrum pertransire, cura diligenter, ut limbum vestis tuae attrahas, ne te terra & sanguine commacules, quia in hoc tramite terra continuo madet cæde victimarum tuarum; videlicet, inquit Sudius, via hæc, quam ego sequor amoris & doloris via est, & multi in ea amatores tibi victimæ cadentes prostrati jacent, ideoque laciniam tuam sublevans a sanguine declina, ne te polluas; scopus Poeta est, ut amasium bac querimonia ad miserationem permoveat. De Keschte vel Küshte vide notas.

کسی بدور عارضت طرفی نبست از عافیت
به که نفوشند مستوری جستان شما

*Nemo tempore tuarum genarum lucrum percepit ex continentia,
Melius est ne ventitent pudicitiam coram oculis tuis.*

Paraph. Quis unquam utilitatem aliquam percepit **ex temperantia** in conspectu genarum tuarum, aut quem tutari potuit continentia contra formæ tuæ illecebras, nonne ergo satius est, ne quisquam jactet pudicitiam coram tuis oculis; etenim, ait Sudius, quicunque te aspexit amore ebrius & amens factus est, & vel invitus oculorum tuorum concupiscentia flagravit, neque ex tutela continentia lucrum ullum percepit; est autem figura Zikri giüz ve iradei küll, seu pars prototo. Oculi nimurum pro puer.

نخت خواب الود ما بیدار خواهد شد مکر
زانکه زد بر دیده ای روی رخshan شما

*Fortuna mea somnolenta excitabitur forte,
Quia oculis (ejus) aquam aspersit nitidus vultus tuus.*

Paraph. Quidni tandem excitabitur fortuna mea gravi sopore sepulta, siquidem fulgens & nitidus tuus vultus oculos ejus perstrinxit; quod est, *aquam oculis ejus aspersit*. Vel ut Sudius ait: Facies tua nitens caligantem & somnolentam fortunam evigilare coegit, vulgare enim, ut fortunam alicuius somnolentam esse dicamus tunc cum in ærumnis & calamitatibus versatur, vigilem contra, dum in quiete & animi tranquillitate vitam agit, adeoque fortuna somnolenta malam fortunam seu infortunium

nium denotat. Reprehenditur his Sururius, qui ab ad *ru* retulit, acsi esset *abi-ru*, id est decor, honor &c.

با صبا همراه بفرست از رخت کلدسته
بوکه بوی بشنوید از خاک بستان شما

Cum Zephyro simul mitte ex genis tuis manipulum-rosarum,

Fiat, ut odorem percipiamus ex terra horti tui.

Paraph. O Dilecte! ex roseto genarum tuarum mitte mihi cum Zéphyro unum manipulum rosarum, quo fiat, ut ex terra horti tui, sive ex terra, quam in horto pedibus calcas, odorem aliquem percipiam: nimirum, inquit Sudius, terra horti tui, quam pedibus tuis contingis, odorem rosæ spargit, ideoque voluntas odorandi rosas genarum pueri, pure cupidus est odorandi terram vel flores sub gressibus illius natos &c. Sed Sudius *ba Saba* non explicat cum Zephyro vel per Zephyrum, sed simpliciter in Dativo ponit, acsi esset: mitte Zephyro.

عمرتان باد و مراد لی ساقیان بزم جم
کرچه جام ما نشد پیر می بدولان شما

Estote longævi & felices o pocillatores convivii Regis,

Licet poculum nostrum non fuerit plenum vi-
no in tempore vestro.

Paraph. Estote longævi & voti cōpotes o ministri convivii Regis *) quantumvis poculum meum

*) Gem inquit Sudius proprie est nomen Regis & Prophetæ Salomonis, uti ex adducto altero Haphyzi versu patet, sed & simpliciter pro quovis alio Rege accipitur ut hic.

Hic ergo est Sensus: O Rex Iesu vita & regnum tuum felix

nunquam vino repleveritis. Per pocillatores Regis intelligit ipsum Regem Jezdi, cui ingratum animum exprobrat; sciendum enim, quod Haphyz laudibus illum in carminibus suis extulerit, nec ullam remunerationem perceperit, uti ex his versibus appetet.

Arnuzia Rex, quem nec unquam contigit

Videre mibi, donum dedit,

Jezdi Monarcham vidi & ad cælum extuli,

Nec sic tamen quidquam dedit.

ای صبا با ساکنان شهر یزد از هابکو
کای سرحق ناشناسان کوی چوکان شما

O Zephyre! *incolis urbis Jezdi ex parte mea*
dic:

Quod: o capita ingratorum (sint) pila clavæ-lu-
foriæ vestræ.

Paraph. O Zephyre! dic meo nomine Regi Jezdi *) & proceribus aulæ ejus id, quod nunc voveo, scilicet ut capita eorum, qui ingrati & immemores sunt beneficiorum vestrorum, sint vobis instar pilæ clavæ luforiæ, nimirum ut multa mala ingruant in ingratum caput invicem vestri beneficii. Est autem gevkan scipio quidam oblongus & una extremitate recurvus, quo instructi equites colludunt, & sphæram in medium campi projicientes clava luforia al-

ter-

fit & perenne, et si me gravis tuis frustratum voti exper-
tem feceris.

*) Urbs Jezdi, inquit Sudius, Sebirazo trium dierum intermis intervalllo distat, & rivos Ruenabadi, qui prope Sebirazum levatur versus Gerdum habitur, & utraque ripa salicibus fera est, ita ut viatores immunes sint ab astu solis; Harrum duarum urbium intermedia plaga mirum quantum cul-
ta est, non secus ac provincia inter Tocatum & Amasiam fi-
ta est.

ternatim sustollunt, quod qui obtinuerit, lucratur; ideo dicit: caput illius, qui vestri beneficii immemor fuerit, instar sphæræ lusoriæ circumagatur, & collidatur, sed ironice dictum pūo, quia superiori disticho nihil se beneficii tulisse questus est, atque adeo ab imprecatione hac caput suum eximere videtur, quasi diceret, per me licet ingruant multa infortunia ingratum caput erga vestri Regis beneficia, at meum salvum erit, quia nihil illi debeo.

کرچه دوریم از ساط قرب هشت دور نیست
بنده شاه شمایم و تنا خوان شما

*Etsi procul simus a strato proximitatis, desiderium longe non abest,
Servi Regis vestri sumus, & fausta precantes
vobis.*

Paraph. O Incolæ Jezdi! et si corpore longe a vobis remoti simus, animo tamen & votis præsentes sumus, nosque servos Regis vestri profitemur, & bone ac gloriæ vestræ addictissimos. Sudius addit Poetam his verbis Regis favorem sibi conciliare voluisse.

ای سهنشاه! بنده اختر خدا را هستی
تا بپوسم پیچو کردون خاک ایوان شما

*O Rex excelsum fidus! per Deum fac gratiam,
Ut osculer ad instar cœli terram Palatii tui.*

Paraph. O Rex felici fidere nate tribue mihi per Deum hanc gratiam, ut in Palatii tui cœlo æquandi pulvere caput meum prosternens te venerari audeam.

میکند حافظ دعای بشنو و امین بکو
روزی ما باد لعل شکر افشار شما

*Facit Haphyz votum, ausulta (o puer) & dic
amen,
(Orat quippe) ut fors nostra sit labrum nepta-
reum tuum. viz. sacharum spargens.*


Paraph. Haphyz preces fundit, ausulta o formose puer! & dic amen, dic, ut Deus vota mea rata habeat, quod autem voveo, hoc est, ut labra tua mellea & sacharum spargentia sint sortis meæ portio, id est nihil aliud opto sortiri, nisi ut mihi roseum & mellitum tuum labrum contemplari & suaviari contingat.

Sequitur alia adhuc ghazela apud Sudium, cuius hoc est initium:

Lutfi basbed ker ne puschi ex Kedaba rutra. &c.

*Gratia erit, si non operueris faciem tuam coram pauperi-
bus &c.*

De qua hæc habet Sudius: Ghazelam banc inquit Haphyzo tribuere, res est plena difficultatis; primo quia in Divanis illius vara & duos epetae est; secundo: quia in ghazela quinque stropharum tres dari ejusdem vocabulis iorataludriæis a norma sana poetices abborret, neque uspiam a peritis versificatoribus factum constat; tertio: vox Keda utpote nomen rationale cum terminazione ha plurilater efferris juxta regulam non potest. Adeoque ghazelam banc Haphyzo nemo sine discrimine attribuerit, nisi forte tyro adhuc & ἀγάπης eam scripferit, & sic sublatam quispiam alicui Divano inseruerit. Mea quidem sententia ghazela bac alterius cuiusdam Haphyzi est, cuius patria Tauris est, & qui vulgo Tarakci nuncupatur, id est: pectinum artifex. Hujus aliquot ghzelas, dum Damasci versarer, vidisse me memini, quæ potissimum ad hanc modum inepte definebant, et si dubium non sit, quin auctor totum id elegantiæ tribuerit.



Et vocum difficiliorum explicatio.

O D E I.

I.

Eta est Harfi *Iftifah*, ut loquuntur grammatici Arabes, id est, interjectionem implorantis auxilium. Meninszky vult esse interjectionem vocantis & alloquentis simpliciter, ut: o, heus agendum. Ja est *Harfi-nida*, interjectione inclamantis. Eijū est münnadii-mii/red-mariſe & ba adjectum, est barfi tenbib interjectione excitantis; Meninsky utrumque reddit per: o quisquis es. Saky in lexicis dicitur: aquarius, aqua bejulus, quem Turcas coru; te Saka vocant, sed proprie ille est, qui potum ministrat, genochous, pocillator. Sudi dicit Saky esse münnada τ̄s Eijū, five vocatum. Edir. 2. p. Imper. juxta formam conjug. Ifſe. circumfer, circumage, notandum vero Schæmum & Sururium falso transitive usurpare, & male vertisse fac circumferrit. Kees, proprie est poculum vino plenum, & nonnunquam etiam ipsum vinum; at Kedab universale est, & latius patet. Navil 2. per. Impera. formæ conjug. mesayle. id eit: propina. Sudius dicit scribendum fuisse naviliba sed metri necessitate jaſ-miitkellim elisum esse. ba propomen fœm. ad Kees relatum. Notandum porro in lingua arabica vinum, ejusque species, & vasa quæcunque ad illud pertinentia feminini esse generis, eti terminacione sint masculina. Ki persicum tam nominis, quam conjunctionis vices supplet; & cum pronomen est, significationem obtinet relativi qui quæ quod, deque ratione præditis dicitur, quando vero conjunctio est, duas potissimum orationis partes conjungit, ut muhtedawm cum chabero adjectivum cum substantivo, & causam cum causato. hoc loco eit particula causalitatis. Asan facilis, nūmād præt. verbi nūniuden, quod tam activam, quam neutram significationem admittit, ostendere videlicet & apparere. hic neutrum est. Veli est harfi-iſtidrak five conjunctio adversativa, & vim habet arabici lakin verum, enimvero, sed &c. Uſtad. est fylī-maz̄ five præt. significat autem verbum hoc tam cadere proprie, quam etiam accidere. Müſebkīl difficilis, arduus. ba est terminatio pluralis numeri irrationalium.

2.

Bui cum ja & fine ja scribitur, ut & pleraque alia substantiva binis vocalibus terminata. Duplici significatu pollens,

est voculum, primâ quidem ac vulgari notione pro odore sumitur, altera vero caque rariori pro spe, atque etiam $\tau\bar{s}$ regia arabici vices explet. Hic in utroque sensu accipi potest. Si pro odore sumatur, tum *ba* præfixum dicetur *bai-sebebijes*, & per præpositionem propter reddetur. Sin spem significet, erit *bai meyijet*. *Napbe* est vesica moschi, vide notas in paraphraſi. *Ki* amittit hic *bai resmi* ob sequentem vocalēm. *Acyr* in perfidis vim habet $\tau\bar{s}$ takrir vel teekid, videlicet particulæ confirmandi & affirmandi ut omnino &c. *Saba* in Lexicis dicitur ventus spirans a regione orientis sub auroram aut crepusculum sed apud Poetas accipitur pro aura flante a domicilio amasi, pro Zephyro, & subsolano. *Zan* contractum est ex *ezan* ab illo. *An* vero pronomen demonstrativum absentis, vel distantis. *Türre* syncipit, proprie pars antica capitis, & frons, deinde etiam pro capillis illius partis, nimirum pro antiis in fronte pendulis sumptum est per figuram *Zikri mabal ve iradei Hal*, id est continens pro contento; pluralis hujus vocis est *Türer*. *Ba-küschajed*, quod metri necessitate *Bükschajed* legitur est 3. p. Fut. indic. aperiet, solver; est autem verbum *Küschbaden* activum simul & neutrum, significans aperio, & pateo, hic activum est. *Ba* præfixum indicat tempus futurum, quippe in perfidis ut & in arabicis præsens & futurum eodem modo flectiunt. *Zitab*. *Zi* contractum ex efs. *Tab. πολυσημαντον*, hic pro coma & antiis sumitur. *Giad* est fitati-müschebbehe, sive substantivum adjectivi vice fungens & similitudinem exprimens, refertur ad capillos crisplos, & cincinnos catenæ instar annulatos. Nonnunquam etiam ut hic omisso adjectivo substantivo, simpliciter adhibent. *Müsbk* moschum, est perfidum, at *misk* arabicum, ja est *jai-nisper*. Sed sciendum litteram hanc apud arabes scribi cum *teshdid* apud Persas autem cum *Sükun*. Rursum apud Persas saepius post *ja* sequitur *nun* ut hoc loco, idque ob *teekid* sive amplificationis gratia. *Scbin* hic est pronomen possessivum 3. personæ, & ad amasum refertur, vel etiam ad *Türre*. Particula *ci* hic vim habet augendi. *Cbun* sanguis. *Ustade* ut supra cecidit, decidit. *Dilba* pluralis numerus $\tau\bar{s}$ *dil*, cuius terminatio *ba* nominibus rerum ratione destitutarum propria est. Est autem *Dil* tam peccus, quam cor & animus; hic cor significat.

3.

Rmkir. ja hic est *jai-nisperi* & *nun* est propter *teekid*.
Klin est a *Küniden*, non a *Kerden*. Notandum inquit Sudius,
 quod

quod omnes infinitivi conjugationum perficarum in *nun* desinant, & quod penultima consonans semper *ta* sit vel *dal*. ut: *dani-
hen*, *ebanden*. Quid si ante *dal* fuerit *ja*, ut in *Amuridem* omnia tempora inde formantur, exceptis tantum præterito, & participio passivo, quæ ab alterutro ex predictis derivantur. Quo bene notato regula generalis habebitur fere pro omnibus temporibus, sine exceptione. *Keret*, ter contractum ex *eker* vocatur *barfi-schart*, sive conjunctio conditionalis, & æquipoller *rū fi*, siquidem, *ta affixum*, est pronomen secundæ personæ, nimirum: *fi tibi*. *Mugb*, Magus, & Monachus, Religiosus, peculiariter Sacerdos Christianus, & simpliciter etiam infidelis ut in *Schahidi*, & hic *Pri mugban* talium monachorum *Antistes*, *Abbas* & translate capo. Vide notas in periphraesi. *Kujed* a *Kujiden* non a *Küfien*. Notat iterum Sudius, tertiam personam Imperativi eandem esse terminatione cum tertia præsentis indicativi; sciendum præterea in verbis perficis tantum particulas conjunctivum aut optativum regentes indicativo præfigi, in reliquo hos modos nihil intra se differre. *Ki est Harfi-tasil*, conjunctio causalís. *Salik* viator. Sed hoc loco cauponem denotat seu Abbatem cœnobii monaitici, *resm* est mos, consuetudo, institutum, *menzil* statio, diversorium, sed hic pro popina accipitur.

4.

Mera. *mim* est *Zamiri-mütekellim* sive pronomen primæ personæ, *ta* affixum diversas habet significationes, omnes suo loco in decursu hujus operis expediendas; hic est *meñulijet* & latine per *dativum esse tur mihi*. *Menzil* ut supra, statio, hospitium. Notat Sudius pro *menzil menazil* esse debuisse, sed necessitate metri singularem pro plurali positum esse, *etenim* inquit: *ut ad amatum perveniat unum solum hospitium intrare non sufficit, sed usque complura sunt peragranda, ut amans ad amatum contendens omnigenas molestias & crimum experietur, & conjunctioni vim ac pretium condiscat &c.* *Gianan* videtur esse pluralis *rū gian* ait Sudius, idque per amplificationem, ac si *amatus* omnium simul amantium anima esset, ut eo videtur alludere versus iste:

Haman ben bendenien giani degil-fin giani elem-fin.

Id est: non mei solum servi tui anima es, sed totius mundi. Vel forte etiam ellipsis est alterius vocis, ut: *giani gianan*, anima animalium, ut apud Turcas adhuc in usu est, quo factum, ut ob frequentem illius usum brevitatis gratia prius vocabulum subteatur, hæc Sudius. *Ci* est *Kelime-i-fisiam* particula inter-

rogativa, quid, quis? *Emn* est *mashar*, ex *Emene* jeminiū formæ *Alema* jatimii. *Eisib* cum fatha τ& ein vitam, incolumentem, significat. *Emnt eisib* est securitas vite, incolumitas. Nonnulli *Emn* cum *eisib* copulative sumunt, ac si esset *Emn-ii-eisib*. Sed hoc a genuina linguae persicæ phrasí abhorret; *Ciin* idem quod turcice *Cilanki*, siquidem, quandoquidem. *Herdem*, ber eti *kiilli esrad* id est singuli, omnes, dem hic tempus denotat, ut *sepide-dem* diluculum, *Sabab-dem* mane &c. *G* res campana, tintinnabulum, illud præcipue, quod collo camelorum & mulorum appenditur. *Ferjad*, vociferatio, aliquando cum *sizan* conjugitur. *Ferjad-ii-sizan*, at *Ferjad-yes* ille dicitur, qui fert auxilium in periculis & angustiis; sed hic in sensu clamoris & vociferationis usurpatur *ferjad*. Addit *Sudius* campanæ clangorem hic translato pro *Præconis* clamore sumi, ex eo, quod olim mos fuerit, ut peregrinantes voce stentoris ad iter simul & semel ineundem admonerentur, uti apud Othomannos in hunc finem vaccina signum datur. *Midared*. Particula *mi* præfigitur in verbis persicis præfenti, & futu o, quæ tamen non raro etiam confunduntur, & alterum pro altero ponitur, ac utrumque nonnunquam continuationem denotat. Accidit etiam, ut ante *mi ba* addatur, quod tum *ba* teekid dicitur, ut in *bemi-reved*, *bemi-resed* &c. *Dared* est *syli-mišary* a *Dariden* non a *dasten* ut jam antea monitum. *Berbendid* particula *ber* & *der*, quæ occurunt in conjugatione *Efaal*, potissimum confirmationis gratia sunt, non raro utraque eandem vim habet, ut suo loco dicetur. *Bendid*, colligate, a *bendiden*, 2. per. pl. imp. Convenit terminacione cum 3. pers. sing. præt. *Mabmilba* onera, sarcinæ, plur. τ& *Mabmil*.

5.

Sebeb. nox. *Tarik*. tenebrae. *bim* metus *mvug* fluctus. *Kirdab*. gorges, vorago. *ia* affixum est *jat-vabdet*, vel etiam *senkir*. *Ciünin* est compositum ex *Ciün* & *in* quorum prius est particula similitudinis, alterum pronomen demonstrativum proximi, in compositione *vau* τ& *ciün* & *bemze* τ& *in* eliduntur. *Hail* terrificus, a *havl* terror. *Kiigia* ubi, & quomo-
do. *Danend* sciant, a *dantden*. *Hal* res & status rei. *ma* nos. in compositione noster, vel nostrum. *Sebük-baran*. plur. τ& *Sebükbar*. cuius terminatio est rationalium, refertur enim ad hominem & significat levis oneris homines. Compositum est ex *Sebük* levis, & *bar* onus. *Sabil* littora, ripæ maris &c. plur. persicus τ& *Sabil* arabici.

6.

Heme collectivum, idem quod arabicum *Kul'a*. *Kar.* opus, operatio. *mim* affixum est *Zamiri mütekellim*, *ebd.* ipse, meus ipse. *Kiam* voluntas, desiderium. *Cbodkiam* est *ta'si turkibi* five nomen compositum significans illum, qui propriam voluntatem sequitur. *ia* affixum, est *hærh-mæstar*. *ba* est *barfi-fille*. significat ad, & refertur ad *Keschid*. *Bed* malus, nequam. *Nom*, nomen, fama, *ja* itidem *barfi-mæstar*. *bed-nami* simul sumptum est mala fama, ignominia, *Keschiden* convesionem & propensionem denotat hoc loco ait Sudius, estque neutrum *five lazim*, non *müteaddi* id est activum ut putant nonnulli, quod & testimonis Hælaly, & Mevlanae probat. *Acbyr* est *Kelime'i zeekid* ut paulo ante notatum. *Niban* abbreviatum ex *Pinbare* eliso pe & apposito *Kesre t̄w nun*, quod antea *Sakin* fuit. Significat occultum, absconditum, uti arabicum *Chafy*. *Kei*, ubi, quando, quomodo. *maned*, est *fyl-i-muzary* derivatur a *manidēn*, quod est medium inter activum & neutrum, nam & ponere, & manere significat. Est & aliud *maniden*, cuius mastarus est etiam manisten, & significat similem esse: *An* pronomen demonstrativum remoti, *Raz* negotium arcanum, secretum. *ia* est *jai-vahdet* vel etiam *tenkir*. *Kezo*. Contractum ex tribus vocibus *ki* ex o. quarum ultima est *Zamiri merfu munfasyl*. five pronomen relativum disjunctum, arabice *büve*. refertur autem ad *raz*. *Sazend* fyl*i* muzari gemy. 3. per. pl. præs. a *Saziden* facere, construere, habet & aliam significationem, de qua suo loco uberioris dicetur. *Mabfilba* conciones, confessus, congregations. plur. *t̄s mabfil*.

7.

Huzur proprio præsentia, sed hic quies, tranquillitas, *ja* est *jai-vahdet* vel etiam *tenkir*, id est unitatis, vel indeterminationis. *Chabi* est fyl*i* muzary muchatib. a *chabiden* cuius alter infinit. est *Chafsten*. *Velle*, cupere. *Ezo* refertur ad sequentis versus sententiam. Qui ad Deum referunt, vehementer errant, inquit Sudius. Aliqui etiam o illud ad secundi versus men relatū volunt. *Meschev*. Imper. negat. præs. *Hapbyz* est *mündi*, sed *barfi-nida* suppressum est, & subintelligitur: *Fi Hapbyz*. *Meta* est ex genere *t̄w umai-menkuſe*, five nominum defectivorum, & duos *mazarios* gezmat, & duplice sensu pollet, est nempe conjunctio conditionalis & interrogativa, five ut Turcas loquuntur: *Sebart-ile Ifsifham-dur* hic conditionalis, *Me-*

Meninszky vult esse adverbium temporis vel conjunctionem conditionalem & sic verit: *ad hoc ut.* *Ma vocatur Hayfi-Zard* iive particula redundans confirmationis gratia. *Talka* 2. pers. fut. verbi *tska* seu *takyje*, cuius fut. est: *jetka*, formæ conjugationis *etimæ*, significat convenias. Ordo vocum genuinus hic est: *meta eredit et talka*, si volueris, ut convenias &c. *Men* est *ismi-n.evol* pronomen relativum, idem quod *esse* est, quis estque indecl. ac potissimum in rationabilibus usurparur; præterea est *mesfulun-bib* τ&ς *talka*, & ad pronomen *eso* referuntur. Qui dicit esse ex genere των *kabil-üz-zikr*. oppido fallitur. *Teba* 2. pers. fut. verbi *beva* seu *bevije* formæ conjug. *etimes* debuisset esse *tebvakü* juxta syntaxim relativi arabici, sed hic omissum est pronomen relativum. *Da-yd-dünia*, da 2. pers. Imper. a *de seda*, significat *abice*. In hac significatione reliqua tempora inusitata sunt, participiis tamen utuntur poetæ sed raro. Ob sequentem articulum seu *vastum gezma* mutatur in *kesram* sic nempe *de-yd-dünia*. *Ehmi/ba* 2. pers. Imp. verbi *ebmeli*, *jambili* formæ conjug. *efale*, significat *intermitte*, idem fere quo*i* precedens de. *ba* affixum est pronom. relat. form. *zamiri man-sub* dictum & ad *aūnia* relatum. *Dünia* mundus. *Primus* & *ultimus* hujus *ghazelæ* versus arabici sunt, reliqui omnes perfici.

O D E II.

I.

Türk de hoc satis dictum in notis ad paraphrasim. vide. *Ared.* in origine fuit *avered* ab infi. *averididen*, postmodum in nonnullis temporibus *vau* sustulerunt ut in *muzarie*, in *mro* in *nebio*, & in partic. act. *Hindu* cum *vau* in fine dicitur de iis tantum, qui ab origine ad indorum nationem spectant, qui vero sunt adventitii, uti & res quævis ab indicis regionibus proveniens, ut *myrrha*, *gladius* &c. *bindi* non *hindu* dicitur. Postandum vero, quotiescumque in fine vocabuli perfici occurrit *elis*, vel *vau* vel etiam *ja*, occasione *izafeti* unum *ja* inter seri, sic *bujeseb* a *bu*, *pajeseb* a *pa*, *pejeseb* a *pe* &c. *Sebin* vero illud in fine annexum est pronom. 3. pers. ad *Türk* relatum. *Semercandum* & *Bochara* duæ urbes sunt, quarum incolæ *Turcas* sunt, & quas ideo vel maxime pro dono delegit poeta.

2.

Külkescht proprio per illustratio rofarum, & deambulatio ve- spertina rofarum tempore, & hinc locus omnis ad deambulan- dum

dum & animum relaxandum aptus, denique nomen proprium loci cuiusdam prope Schirazum, reliqua vide in notis ad paragraph.

3.

Fügan, contractum ex *efzan*. Persæ nomina & verba, quorum prima littera *bemzæ* est, eo eliso contrahunt. Volunt tamen nonnulli regulam hanc tum solum obtinere cum elis. est breve, non item cum longum est, ex. g. *lkender*, *fkender*, *üftaden*, *fütaden*, *iftaden*, *fitaden* &c. Est vero *fügan* interjectio dolentis, & exclamantis, ut proh, heu, eheu. *Lulian* vide in paraph. *Schub* πολυσήμαντος, sed hic pro ζεγός, θερμόργος, servidus, calido sanguine præditus, & lascivus, fallax. *Sibirinkiar*, *sibirin* est dulcis, *kiar* autem cum *kiasi-egemi* nominibus affixum actionem designat, ut apud Turcas ei, sic *sistem* vis, injuria, *sistemkiar*, injurie & violentie autor, vim inferens, violentus; pariter *gesakiar* &c. *Scbebriaschub* adjektivum σύθετος, velut: urbem tumultu complens, urbem perturbans, videlicet dementans, ad insaniam redigens. Ineptis hic rursus Sururius, dum dicit *sebirinkar* ad instar *scbriascbub* ex duobus nominibus compostum esse, de turkian jam supra dictum. Reprehendit iterum interpretem Sudius, afferentem türkian hic idem esse quod *kedajan*, h. e. pauperes, mendici; & addit: *Qui epulum predatoriū diripiunt, validos ac robustos esse est necesse, uti hoc in arce Imperatoris Turcarum sapius observatur, cum contra mendicorum turba infirma sit & debilis, quorum si cui quidpiam in manus porrexis, tollit & manducat, sin minus, patienter fert.* Cbytan arabicum est, sed Persæ *chan* scribunt, estque proprie mensa, sed translate pro epulo & dupibus sumitur, præcipue quando cum vocabulo *jagma* construitur ut hic. Quid autem sit *chani-jagma* dictum in notis ad paraphrasim.

4.

Be ab-ü renk, *vau* istud metri necessitate intersertum est, proprie enim *abi-renk* scribendum fuisset, quod est liquor quidam, seu pigmentum album, quo foeminæ faciem illinunt. Potest etiam rubricam, five fucum rubrum significare, quem turcæ *ku/giune* vocant, tuncque ab album fucum significabit. In nonnullis codicibus est *be-bui-ü renk*, & tum *vau* est *bərfi* atf.

5.

Hadis proprie novus, item dictum aut factum recens, historia,

storia, narratio &c. sed hoc loco idem quod turicum föz. *Mü*, *trib* de illo dicitur, qui cor & animum exhilarat, & alios ad tri-pudium movet cantu vel fidibus, verbo modulator, cantor, cytharœdus. *Kemter* comparativus τὸς *kem* minus, parcus, aliquando pro absoluta negatione adhibetur, ut *k.m kiu*, *kem giu*, *neuquam die*, *nullo modo quare &c.* *Kuschaden* & *Kuschaben* aperire, revelare, deberet autem legi *nekuschad* & *nekuschabed* sed metri necessitate legitur *nekschud* & *nekchabed*. *Hikmet*, *Philosophia*, *scientia*, *doctrina*. *Sudius* dicit esse possum hoc vocabulum pro γῆμι-*bikmet* quia inquit *disputatio & inquisitio de tempore, de caelo, de elementis, & faro illi scientia subiacent.*

6.

Ruz-efzun, epithetum σύνθετον, significat id, quod de die in diem augetur, & incrementum capi. *Tmet* sumitur plerumque pro continentia & castitate. *Zelicha* nomen uxoris Putiphari juxta orientales; sed *Sudius* dicit primitiva significatione epithetum esse, ac idem sonare quod pulchra, formosa.

7.

Guseb proprie auris, & particip. audiens, & auditor a *gusebiden*, sed *guseb kerden* est aurem probere, auscultare, mend in percisis vocabulis est *edati-nispet*, ut in turcicis τὸν ἡγεμόνην *seadet-mend*, *seaderly*. *Danischmend*, *daničký* &c. *Elif* in fine vocis *giana* est *barfi-nida*, five interjectio inclamantis. *O, heus!*

8.

Gbazel species est poematii, quod ut regulæ accommodatura sit, nec paucioribus quam quinque, neque pluribus quam decem (*Bett*) strophis seu distichis constare debet, et si nonnulli ad tredecim extendant. *Dürr süsten* & *süftiden* est margaritas vel baccas filo trajicere, uniones conjungere & filo inferere. gall. *enfiler des perles*, quod phrastice de illis dicitur qui suavia & elegantia verba fundunt, & quibus dedit ore rotundo *Musa loqui*.

O D E III.

I.

Revnak decus, pulchritudo, elegantia. *Gevheri* dicit *revnak-*
Rüs-seif esse nitorem & splendorem gladii. *Diker* hic significa-
cat iterum, scribitur autem sine ja ob metri necessitatem; errat
veche-

vehementer interpres, qui dicit dixer hoc loco significare *ad huc*. *Bostan*. vocabulum hoc arabes sine *vau* scribunt, at Persæ pronuncie cum *vau* & sine *vau*. *Eliban* voces, phthongi, modulationes. plur. τὸ *labn*. ponitur in plurali ait Sudius ob varios & multiformes Luscinias modulos.

2. *Güvanani-cemem*. per juvenes campi intelligit Poeta flores & gramina recentia, qualia sunt ineunte vere. *Baz*. retro, & iterum, sed hoc loco priorem significationem admittit; potest tamen etiam simpliciter τὸ *teekid* vim habere. *Resan*. imper. a *resaniden* transitivo. Sciendum, quod Persæ transitiva, sive ex neutris activa faciant intersertis *elif* & *nun*. Sic ex *residen* pervenire, fit *resaniden*, facere, pervenire, ex *residen* *terresaniden* &c. *Riban* & *Reiban* communius, herba odorata quævis, peculiariter autem, *Ocymum*, *Basilicon*,

3. *Ciünin*. talis, similis. Compositum ex *cilim* sicut, & in hic hæc hoc. *Mugb*. de hoc jam alias dictum. Pece proprius catus, vel pullus, sed similibus in locis puer, pufio &c. *Cbak-rub* idem quod *ciarub*, vel *ciaru*, quod Arabes *sebarub* scribunt, scopæ. Compositum est ex *cbak* terra & *rubiden* vertere; in origine fuit *rubendei-chak*. *Muje* & *mujkan* cilium, pilis palpebrarum; errat iterum Sururi afferens *mujkan* plurale esse τὸ *muge*, nam si hoc esset ja cum *fetha legendum* esset, nec quiesceret ut hic.

4. *Dürdi-keschan*. Potator, qui vinum usque ad fæces haurit, vel ut Horatius ait, potans *fœce tenus endum*. plur. τὸ *dürdi-kesch*, cujas terminatio *an* ob rationale, est autem *dürd fæx*, sedimentum, amurca, hic pro vini fæcibus accipitur; Sudius dicit esse figuram *sikri-mabal* ve *iradei-bal*. sive contenti pro continente, *fæx* enim inquit non bibitur, sed quod superne est vinum. *keschiden* est trahere, pro haurire, *micbandend* a *eban-diden* ridere, sed hic pro irridere, explodere, cachinnari, ser. in varia & plane diversa significatione accipitur, uti in decursu hujus operis patebit, sed hic est desiderium, concupiscentia. *Künend* facient, sed hic subanditum sumptus, impense, ac si esset impensis facient, id est: impendent, insument.

5. *Birev be der*, abi ad portam, id est: exi, excede. *bedero* nonnulli ex tribus vocibus constare putant, ex *be*, ex *der*, & ex o pronomine ad *ebane* relato, *vau* tamen illud melius pro conjunc. copulativa sumitur. *Sieb-kiaſe* & *Sijeb-kafe* Hospitum occisor. & juxta alios avarus, Fordidus, vilis &c. *Sijeb* enim proprie quidem niger, ater, sed translate pro maligno & nefario accipitur. *Kiaſe* extra compositionem est patera, paropsis,

poculum &c. epithetum hoc mire eleganter cœlo & fato attri-
butum est à Poeta.

6. *Cbab* somnus est & somnium. *Cbab-keb* contractum ex
ebab-kiah methodo supra dicta. *Müschb* proprie pugnus, &
vola manus, sed hic quantum vola contineri potest, pugillus.
Keschiden hic elevare, extollere, in altum ducere. *Eivan* de
hoc infra uberiorius, Persæ pro aestivario, Palatio & Triclinio
sumant.

7. *Ja* in Kenean est nispet. *Mesned* in lexicis est fulcrum,
locus, cui quis innititur, ut cervical, pulvinar, sed hic solium,
thronus. *An*, & *ezans* alteri pronomini præposita posselliva
evadunt, & cuia *Izafet* leguntur, sic *ani-tū* vel *ezani-tū* signi-
ficit: tuus, tibi proprius, ut apud Turcas *senünki*. Regula, quam vix
uspian alibi reperies, estque hic idiotismus linguae persicæ pec-
uliaris, cuius ignarus verum hunc non facile intelliget. *Kiab*
est nomen loci & temporis, hic tempus denotat; præterea
etiam officium significat, immo & thronum, & unicuique ha-
rum significationum hic locus esse potest. *Pedürud*. valedictio.

8. *Ser* hic cuspidem, extremitatem significat. *Keisu* à fron-
te propendula coma. *Berbem* confusus, intricatus, implicitus.
müsek-eschan epithetum *övþetor*, moschi odorem spargens,
aromaticus.

9. *Ei* vel *I.* subauditur puer mi. *Meb* & *mab* luna, sed hic
translate facies, vultus. *amber*. *Ambarum*, succinum, vulgo
Ambra. *Sara ambræ* epithetum, id est pura, præstans. Re-
sellitur hic jure Sururius, qui *Sara* istud putat esse nomen Regionis
ambram producentis, etenim Sudius adducto alterius Poetæ
versu probat *Sara* etiam de vino dici. *Gevkian* de hujus usu
alibi uberiorius dicetur. Persæ ita vocant clavam lusoriam, five
baculum incurvum, quem Turcæ *ciögen* appellant, arabes autem
savlegian. Reprehenditur iterum interpres Turcicus, afferens
vocem hanc apud arabes cum *gim* scribi, cum revera cum *sad*
scribatur. *Müntarib* idem quod *mütebarrik*. motus, se com-
movens, mobilis, & percussus. *Kerdaniden* facere ut quid sit,
efficere, reddere, de simili transitivorum formatione apud Persas
jam alias dictum. *Keschben* autem & *Kerdiden* significat con-
verti, redire &c. & primo quidem de statu in statum mutare,
unde etiam significatio *ta* fieri, reddi, desumpta est; deinde
sphæræ instar circumagi, circumvolvi &c. proxima ergo verbi
hujus significatio est: fieri, remota circumvolvi, hæc Sudius.

10. *Hapbyza*. elif in fine est *berk-nida*. five interjec. vocantis.
Rindt. nomen hoc Persæ; potissimum in vetitis rebus usurpat,
&

& vel maxime in vini potionē. *Dami-tessir*, hypoerisū de-notat hoc loco. *Dam* enim decipala, laqueus, unde sensus est: ex corano ne feceris decipulam falsarās, videlicet cave hypocrisū corano pallies.

O D E IV.

1.

Sopbi. de hoc jam in notis ad paraph. dicitur a *sos*, quod arabice lanam significat, eo quod Sophi, & ejusdem farinæ devoti & contemplativi ascetæ laneis indumentis plerumque utantur; quod bene notandum, quia quam sœpissime in eos invehitur. *Bija* accede, adesdum, ab *ajiden*. cuius alter infinitivus est *ameden*. Regula generalis est: quotiescumque in initio verbi persici hæmze occurrit, litteris præsenti, futuro, & *nebīo*, id est imperativo negativo *ja* additur. ex. g. *bijaied*, *nejaied* &c. vel potius ut dicte Sudius hæmze in *ja* convertitur. *Lel* gemmæ species, *pyropus*, *robinus*, *rubis balnis*, & ipse gemma hujus color. *Lati-sam* vel *kün* adjectivum compositum, rubrum & pyropi colorem æmulans &c. hinc etiam *lel* frequenter pro labio simpliciter; item vinum rubrum & suave, quasi liquidus *pyropus*.

2. *Derun*, intus, intro, & intimum rei. *Rindan plur.* τὸς *Rind* Lamyus dicit *Rind* significare impavidum, imperterritum, temerarium, sed Persæ pro vini potore, & vinolento usurpant, plerumque etiam pro græco πάροινος, quod est: ad injuriam & contumeliam ex vino proclivis. *Kin* contractum ex *ki* & *in*, refertur ad *razi derun*.

3. *Anka* de hoc vide notas ad paraph. *Sebikar* refertur ad *kes* & cum *izabet* legitur. Nounulli *anka-sebikar* ut vocem compositam legunt, sed perperam.

4. *Ajsib.* & *usitatis yseb*, in lexicis est vita, victus, sed hic, voluptas, gaudium, deliciae. *Nekst*, hoc loco, præfens, paratus; alias de pecunia parata dicitur. *Abebor*, & *abisebebor*, & nonnunquam in carmine *abebor*, est propriæ aquarium, alveus, gall. *abbrevoir*, *auge*. hic vero fors, fortuna, portio. *Bebischt*. 3. per. sing. præt. a *bisechten*, cuius alter infinitivus est *beliden*, & *biliden*, signif. dimittere, missum facere, rejicere, &c. *Razza* in lexicis est pratum, sed hic hortum, viridarium significat. *Dar.* domus, *selam* inter reliquas significaciones etiam de Paradiso dicitur, adeoque *dar-ll-selam* ad verbum est Domus Paradisi, reisq; autem cœlum, sedes Beatorum.

5. *Besmi-devr* translate de symphio dicitur. *Derkesch.* *der* τὸς *seekid* vices explet, *kesch* impera, & *keschiden* trahere, sed hic bibere, haurire.

6. *Scebebab.* juventa. *ser.* πολυσήμαντον, notiori significatione caput, sed hic tempus, vel etiam particula τὸς *Zarsyjet*, complectendi. *Nenk* honor, virtus, probitas, boni studium &c. ja in fine est *jai* vabdet. Nam proprie nomen, hic fama, bonum nomen.

7. *Bendeki*, sciendum, quotiescumque nomen persicum terminatur τὸς *hai-resmi*, tunc si addendum sit *jai-mastary*, vel *elif-nun* pluralis, ha in *kiaf* persicum converti. sic *bende*, *bendeki*, *bendekian* &c.

O D E V.

I.

Dusch. hesterna nocte, *mescbid* facillum, quod inde corrupto vocabulo *mescbaam* dicimus, reliqua vide in notis ad paraphrasi.

2. *Muridan* Discipuli, sectatores. *Kabe* Templum Meccanum, reliqua vide in paraphrasi.

3. *Cbarabas.* Popina, capona, *mugban* capones, & translate heterodoxi, infideles.

4. *Sedva* uitiatius melancholia, atra bilis, sed hic pro desperito amore, & ex amore amentia. *Bisch* cum *ba* arabico, signific. plus, amplius. *Tevfir.* proprie perfectionem, plenitudinem significat, sed hic pro emolumento, utilitate sumitur.

5. *Murgbi* dil & saidi gemis sunt *Izafeti bejanie*.

6. *Kerdend* fierent, a *kerdiden*, de quo supra. ubi vide, quomodo præsens pro optativo & conjunctivo adhibetur a Persis.

g. *Senkin* in hac voce ja est *nispert* & *nun* propter *seekid*. *Eija*. proh. papæ, particula dolentis, & etiam interrogantis cum admiratione. *Kired* hoc loco significat: vestigium impri- met, afficiet, penetrabit. *Ateseb-bar.* adject. compos. significat ignem accendens, ardens; estque *Izafeti bejanie*. *Scebekir.* nocturnus, noctu accidens, epithetum σύνθετον, quasi res noctu tenens, invadens aliquem. Errat ergo Schæmius, qui putat significare insomnem, tota nocte vigilem, quem tamen & Meninsky sed temere secutus est. Refertur autem vocabulum hoc ad abi- *atesebbar*, & ad *suzi-sine*, proinde Schæmius dupliciter la- bitur, dum pro *suzi-sine* legit *suzi-nale*, & tam vocem, quam sensum ipsum carminis depravat. Nec minus fallitur Sururius, qui sic interpretatur: *nostra ignita suspiria & peccus insomne*.

g. *Cba-*

3. *Chamuseb.* cum *elis* & *vau*, & cum *ehif* fine *vau* & cum *vau* fine *elis*, denique fine *vau* & fine *elis*, unius ejusdemque est significationis. 2. per. sing. impera. tace. file.

ODE VI.

I.

Nur *rū bade* est *fifati-muschebbebe*. *Efruziden* & *efrueben* est neutro-activum, sed hic activum. *Murrib.* partic. act. ab *etraba* formas conjugationis *Efael.* usitatus: *Cantor*, *cytharædus*, *alios* ad *tripodium* movens. *Ki causale*, vel etiam *conjunctionivum* sequentis sententiae. Vide notas ad paraph.

2. *Pijale*, forte a *phiala*, *juxta Lamyum* est *scyphus* *vacuus*, in *lexicis autem poculum*, *calix*, *patera*. *Müdam* & *müda-*
met *juxta Gevherium* *vinum* significant, errat porro *Sururius*, qui putat *müdamet* esse *pluralem* *rū müdam*. Est etiam in sen-
tu primitivo yox müdam *perennis*, *perpetuus*, *hinc scburbi-*
müdam *poteat* esse: *potio continua*.

3. *Ja in mesti* est *berfi-mastar*, sive nominale, quod ex verbo substantivum efficit, ut apud latinos *tio* *legn*, *lectio*, *scri-
bo*, *scriptio*. *Ba* hic significare potest *in* & *cum*; videlicet: *ebrietas* in *oculis* aut *cum oculis* *formosi*. *Sururius* *causale* esse afferit, sed *perperam*. *Scbabid* *vulgo testis*, sed hic *formosus*, *venustus*. *Dilbende* epithetum *syntheton*, *cor ligans*, *cor de-
vinciens*, *vi significationis de eo dicitur*, inquit *Sudius*, *qui so-
lus in corde dominium exercet*. *Cbosch* proprius: *bene*, & *bo-
nus*, sed hic *decens*, *conveniens*. *Süpürden* & *sperden* in *Lexi-
cis* est *commendare*, & *committere*, sed hic *remittere*, *relegare* aliquo, vel traducere ad aliiquid. *Zimam* ait *Sudius* *in Lexicis* est *babena*, *capistrum*, *frenum*, *sed bie subauditur vox arbit-
rii*, videlicet *frenum arbitrii*, *uti ynani-ychtiar*.

4. *Kirischme* idem quod *naz*, *blanditiae*. *Scribitur* *cum kiaf agenii*, non *cum kef* *arabico*, ut falso afferunt nonnulli inter-*pretes*, longe minus *cum fetha rū kef*, ut iidem putant. *Sebi* & etiam *sibi* *rectus*, *procerus*, *plerumque* epithetum est *cupressi*. *Sebikadan* *adjectivum* *compositum*, *plur.* significat *graciles* & *procerae* *staturæ* *formosos*, *amasios*. *Gitoe* *juxta La-
my* *cselebi*, est *motus lascivus* & *lubricus*, sed in *lexicis*, est *formæ* & *pulchritudinis ostentatio*, *exhibitio*. *Senetber-charam* epithetum *syntheton*, *pinum motu* & *incessa* *xmulans*, & re-*fertur* ad vocem *serv*, neque absolute sumitur, *charamiden* au-*tem* est *moveri*, *vacillare*, & hic est *ordo phrasis*, *cypressus* *motians se ad inflas pinus*.

5. Geride sit Sudius propriæ liber est seu charta flabelli in-
star complicata, quo utrinque inscripta est, & cujus hoc tem-
pore nullus est usus. Sumitur etiam promiscue pro quovis li-
bro, & hic pro libro vita & elenco fagi.

6. Sarfe, augmentum, emolumenntum, anctarium, corolla-
rium, id denique, quod supra mensuram vel pondus justum ad-
jicitur, sed hic simpliciter significat plus, amplius. hæmze in
sarfe est barfi-teveſſil, & ja est barfi-vabdet. Ruzi baz-cöñſe
est dies judicij universalis vel potius resurrectionis mortuorum,
nam hoc est baz-chyz. Nani-belal panis legitimus, translate
pro nani-vakuf, panis fundationis, aut eleemosinæ, quia pleriq
ue monachorum in cœnobijis τῶν αγαπῶν pane tantum
vescuntur. Abi-charam aqua seu potus illicitus, figurate pro
vino, quod vetitum. Schreib. proprie Praefectus cœnobii, Se-
nior, Antistes &c.

7. Abbab, amici, & formosi, amasii &c. plur. τοις Habib,
küſſeben, küſzar, & küſſtan synomina, rosetum, viridarium,
hortus, denique locus, ubi agitur vita læta comedendo, ludendo
&c. Arzæ idem quod arz. sed illud he in fine vocatur barfi-nak
five particula translativa, ex arabico videlicet in perficuum. Ber
supra, vel etiam dativum regens particula. arab. end. Pejam &
fejem. Peigbam & Peighem. nuntium, novum.

8. Jad-kerden. memorare, recordari, and. propositum in-
tentio, & data opera.

9. Derjai-acbzar. vide notas ad paraph.

10. Ja in danri est barfi-tenkir, non autem vahdet, ut
vult Schænius, bemi augmentativum. Murgh. nomen gene-
ricum quorundam volatilium, quod apposito altero vocabulo ad
speciem suam reducitur, sic: murghi chaneghi. gallina &c.
kasti-dam in nonnullis codicibus est meili-dam, dam est rete.

ODE VII.

I.

*L*utſ hoc loco lenitatem, comitatem significat, be lutſ bükü
dic placide. Ghazel. hinnulus dorcidis, pullus cervæ, &
ipsa dorcas; Poetæ venustos pueros & puellas illi comparant.
Rena proprie rosa est ex parte rubra, ex parte autem flava, vel
potius talis rosæ epithetum est; quam significationem in nostris
lexicis non facile repieres; significat etiam: mollis, tener, pul-
cher, & sui admirator &c. Ser ordine refertur ad mara. Inter-
pres, qui dicit hæmze in voce d:de: vim habere secundæ perso-

næ, oppido fallitur, nam primo hic nullum est hæmze, sed *ein* illud mutilum hæmze substituitur; deinde hæmze in lingua persica pro *ebytæb* nunquam ponitur, sed *ja*, quod & hic *ebytæb* locum obtinet, enimvero post hai-resmi veniens *ja* non adscribitur, sed signo tantum mutili *ein* indicatur, atque etiam pronuntiatur. Haec Sudius.

2. Sch-ker-fürsch. Sachararius, sachari venditor, epithetum σύθετον, quod translate de mellitis & blandiloquis ephebis dicitur. *Bad.* usitatum in formulis apprecandi & imprecandi. *Cira* quare, legitur etiam *cera* cum *sætha*.

3. Ghurur in lexicis idem quod *qbaslet* socordia, negligencia, tum fraus, fallacia, usitatiss tamen superbia, arrogantia. *Mekker.* Sudius carmine Asaphii citato probat, idem hic valere *mekker* quod *a-abicum keenne*. *h. e.* ac si, quasi, quasi vero. *Pur-sch.* quæstio, interrogatio.

4. Renk. πολυσήμαντος, hic pro forte, vel etiam signo, indicio; in nonnullis codicibus pro *renk* reperitur *bwi*, sebikadan de hoc jam supra dictum, adjективum plur. num. est substantivi loco inquis Sudius, & subaudiuntur pueri, ephebi &c.

5. *Ne-tüvan* kiiſt modo; loquendi perficio pro *netüvan* kiiſtien; sic infra *netüvan* kerden. *Vaza* hic idem quod *cansun*, norma, regula. *Mibr* est πολυσήμαντος, hic amor, dilectio. *Zibara*. deberet esse *zibajesra*, sed metri necessitate *ja* & *ta* elisa sunt.

6. In aliquibus codicibus est: *Belutſ-ü-ebulk*, in aliis: *be Chulk-ii-lutſ*.

7. *Ber* pro hoc in aliis codicibus positum est *der. sema*, dicitur de quavis voce & fono, deque omnium instrumentorum musicorum concentu.

O D E VIII,

I.

Sela annunciatio, invitatio, sonus, rumor, & ut hic novi nunci divulgatio. *Zed.* verbum *zedem* construitur cum compluribus nominibus, methodo lingue persicæ peculiari, nec facile alio idiomate ad verbum efferrî potest, habet tamen vim dandi, imprimendi &c. haec Sudius. *Bela* & *belva*, *beljet*, & *belvet* synonima sunt, & *bela* quidem proprie de camelo itineris molestiis extenuato dicitur, tum etiam de quavis strumna & infotunio.

2. Vide notas ad paraph.

3. *Türk. puer formosus.* nota in *Türk & serk lusum esse verborum*, ut passim alibi. *Bajed impersonale*, oportet. *kerd bajes quasi kerden bajed facere oportet.*

4. *Hela est berfi tenbib,* ohe, aliquando etiam propter *teekid. Schadi. Lætitia.* *asch cum fætha τὸ ζεῖν, vita, incolumentis &c.*

5. *Hapbyza elif in fine vim habet interjectionis vocandi, inclamandi.* Per *scbeb* intelligitur *amafius.* *Dest-debed*, quod *Turce ad verbum efferunt per el-veriir.* significat: licet, contingit, accidit, evenit &c.

O D E IX.

I.

Sakia. idem quod *ei saky*, o Pocillator. *Cbys* imperat. ab infinit. *cbysiden*, qui & *cbasten*. *Dib* imperat. ab infinit. *debiden* usit. *Dadem.* Ra fere omnibus casibus affigitur, sed hic est accusativi nota, sive *τὸ εἰδατομαστι.*

2. *Badi-qbusrur* est *Izafeti bejanie.* *nafergiam & bedfergiam*, quod malum exitum habet, κακοτέλευτη γῆτρα.

3. *Nib* imperat. a *nebiden* ponere, collocare. *ta* hic est *berfi telil* causale, lat. ut, quo. *Ziber*, subauditur *mimi-müsekellim*, ac si esset *zi-berem.* *Dalk* monachorum vestis fere usque ad medias suras. i. q. *cbyrka.*

4. *Nerd apud*, penes. *Nenk.* bonum nomen, fama.

5. *Dud ad Ab & ab ad sine & sine ad susane, & susane ad men, muzaf* sunt invicem, atque haec *Izafetorum congeries pecularis* est lingua perficere; legitur ergo unumquodque cum ja infine hoc modo: *Dudi abi sinei susanei men cæ'erum Dudu-ab* est *Izafeti bejanie.* *Sinei-suzan.* *Izafeti meozuf illa sisatibi;* & *suzan sisati müscbebbebe.* *Cham* proprio crudus, non coctus, & translate, iners, vanus, nudis, *Eßsurde* flaccidus marcidus, & congelatus; nota *kaf* hic intersertum in plurali per regulam supra dictam.

6. *Mebremi-ras* est: *maſtarün meſule izafeti* signif. arcani conscius, particeps. *Dil ad ſebeida*, est: *mevſufun ſisate izafeti.* Ra in *amra* ad *kes* refertur, ac si esset *kesra nemis binem.*

7. *Dilaram* est *varfi-serkibi* sive epitheton syntheton, signif. *animo quietem dans, & simpliciter pulcher, formosus &c.* ab *aramiden*, quod sublato elif etiam *aremiden* scribitur, immo etiam omisso ja *aremiden.* *Jekpare uno imperu, repente,*

8. *Nenigered* non aspicet, sed metri necessitate pronuntia-
tur *ningered*. Dicitur hic pro *dæby*, adhuc, amplius; errat Schæ-
nius, qui per *gyrus* effert, id est: retro, vel rursum. *Sim-en-*
dam epith. composit. ex *sim* argentum, & *endam* proportio,
statura corporis, justa ordinatio membrorum, species, habitus
oris &c. dicitur de *venusto* corpore ut *ἀργυρόπεζα* apud græ-
cos. idem etiam est quod *simi-sima*.

9. *Besacbiy*. ha illud potest esse arabum *ma* hoc est praे-
pos. cum. vel etiam *barfi-syle*, videlicet: in *serumna* patiens
esto &c. *Sacbtî*, duritia, asperitas, adversitas & egestas. Ta hic
barfi-tatîl. *Jabiden* & *jasten* infinitivi sunt ejusdem significa-
tionis, sed secundum est usitatus. *Münteba*. idem quod *nibâ*
jet & *ybajet*. finis, terminus.

O D E X.

I.

Gameber & *gamebor*. epith. compos. ex *gam* dolor *serumna*,
tristitia, & *eborden* edere, vesci, & ad verbum significat do-
lore vescens, macrora se nutriens, usitatus: affictus, perturba-
tus &c. *Abischbor* & propter *ἰσχνατύληξιν*, *abischbar*,
idem quod *abebor*, aquarium. Sed in similibus locis: fors, por-
tio, & mansio domicilium &c.

2. *Avare*, iners, erro, vagabundus. *gian-pervar*. epith.
compos. animam-nutriens, alens, recreans.

3. *Nifar* sparsio, item aurum & argentum in nuptiis aut
alia solennitate sparsum. *Kiriden* & *kiristen* quando cum *ser*
construitur, est: auro inducere, deaurare, non autem auro
immergere, tingere, ut nonnulli putant, ait Sudius. *Kædem* pro-
prie planta pedis vel solea, sed Persæ hoc vocabulo pro toto
pede utuntur. ja est propter *vabdet*, at in *selami* propter *tenkîr*.

4. *Be* primum est *bai*-*sebebijes*, signif. pro, propter; vel
etiam *bai*-*sile* ad, cum, videlicet: *ad preces venia*. *Berar*. *Ber*
est *barfi-istiila* sive attollendi, id est: *sursum fer manus*, eleva.
Karin hic idem quod *Joldasib* comes, socius &c. *Javer* adju-
tor, auxiliator.

5. *Haif* hic injuria, injustitia. *Bekesebed* 3. per. sing. mu-
zarii, atque etiam imperativi; hic in utroque tempore sumi
potest. *Insaf-sirem* ultio injuriae. *Daver* Regens, gubernator,
& *Judex*, & Deus.

6. In *beseres* ha est *barfi-tæbfsis*, at in *heserem* est *barfy-sile*,
h. e. in. *Heva* hoc loco, amor, desiderium. *Nestûvan* bürd

pro netüvan bürden uti jam supra monitum. bürun. foris, foras, extra.

7. *Ruz*, deberet esse *Ruzi* cum *jai-vahdet*, sed hoc metri necessitate ablatum est per aphæresin. *Basched* & pro 3. p. fut. accipi potest, & pro appercutione, nimurum fiat ut. Deus faciat ut &c. *Jarem.* *mim* est *mimi mirekellim* & ad *heajed*, resertur, ac si esset: *beajedem*. *Ei vel I* est interjec. exclamantis. O.

8. *Demzedes* est spirare, respirare, etiam gloriari, laudare &c.

O D E XI.

I.

Satub. probitas, rectitudo, status integer, pax, tranquillitas. & juxta Sudium *jarar-isch.* negotium decens, conveniens &c. *Tefavüt.* distinctio, discrepantia, discriminatio &c.

2. *Nisper* relatio, convenientia, respectus. *Sema* auditio, & *cantus*, sonus, vox. *Rebab.* *Pandura*, cithara magna ventre, nervis chordis, quæ plectro pulsatur.

3. *Savme*, & usitatus *savma-at.* sacellum monachorum, & claustrum, cenobium. Sudius dicit de templis christiano-rum potissimum dictum fuisse olim, tum vero pro quavis alia sede acceptum. *Deir* cenobium, peculiariter christianorum, & translate caupona. *Nab* purus, sincerus. *Status* hypocrisis.

4. *Arieb*, & *ytab* idem. Objurgatio, correptio, reprehensio. *Kiriscbme* ait Sudi, proprio de nictitatione oculorum, & supercilii vibratione, subinde vero de omni motu blando & ille-cebroso, deque languido & molli incessu usurpatum fuit. *Chobescb.* secundum *Sebin* ad *ruckar* refertur, estque transpositio, & suo ordine esse deberet: *Jadech eboseb bad*.

5. *Derjabiden* est assequi, intelligere, concipere; notat Sudius primitiva *jabiden* & *jaſten* significare simpliciter: inventire, sed cum particula *der* composita, intelligere, capere &c. *Ciragh* Lucerna, Lampas, & Lychinus candelæ. Sudius dicit esse flam-mam in lychino candelæ ardenter. *Sebemy*, quando arabicum est, cum Kesra τς *mim* scribi auctor est Sudius, ac cereum significare, sed a Persis cum sukun τς *mim* usurpari.

6. *Kööl*, collyrium, & pecul. fibium. *genab.* juxta Sudium apud arabes est propriæ, atrium, area, aula domus, & hinc dicitur per metaphoram *genabi yzzet meab atrium*, quo confluit honor & gloria &c. *Aſtan* & *Aſtane* idem; Limen domus.

7. *Sebitab* a *sebitabiden* festinatio, properatio, est nomen substantivum, non vero mestar, ut vult Sururius. *Sib*, pomum,

malum. Binorum carminum testimonio probat Sudius Poetas mentem puerorum pomo, vel malo cydonio comparare solitos esse. Zenachtan idem quod Zenach mentum & serobs five sovea menti. Ciah sovea, fossa, non puteus, ut putat hoc loco Sururi.

8. Tama vulgo tamah cupidus, aviditas, avititia, sed hic *tama me-dar*. pro noli desiderare. Sabur, valde patiens, mitis. Karari cist. est figura Ikhfami inkari dicta. Saburi hic mastorum esse probabile est. male autem Interpres dicens ja hio esse jai-vabdet. küdam. ubi, ubinam &c.

O D E XII.

44.

Per Sultanum five Regem intelligitur hic amasis, per ministros aulicos vero, necessarii & familiares ejus, per supplicationem denique, vota & desideria amantis, que secundus versus continet. Hæc Sudius.

2. Schibab. accensus ignis, & stella lucida &c. & usitatus stella cadens, vel potius simile meteorum. De siiba vide notas ad paraph. In Sudii Exemplari pro Süba est Cbuda, vide ibidem.

3. Taban fulgidus, fulgorans. est sisati müschebebe a tabidien. Ditruba epith. syntheton, cor auferens, eripiens, potest legi cum Fatha & Zamma τ& řa.

4. Ja in elemi est jai-vabdet, vel etiam nisper & elem similibus in locis, castum & congregationem significat; Zar proprie pars faciei, in qua barba crescit, mentum. Sed apud Poetas pro genis accipitur, atque eo spectat ro' berfuruzi, quia gena potissimum inflammantur. Müdara proprie & juxta regulam scribi deberet müdarat, cum sit formæ conjugationis mesayte. sed Persæ sine sa finali eo utuntur. signif. concordia, blandi mores, lenitas &c.

5. Firib fraus, dolus, fallacia. Ja in nazari est jai-vabdet vel etiam tenkir. gladu & giazu, magus, fascinator, veneficus.

6. In subbikiabi ja est nisper & significat ad tempus aurora pertinens. nüvaziden & nüvaechten blandiri, demulcere.

7. Elif in Jara ut & superius in nikara interjectionis vocandi vices explet. O, heus &c.

O D E

O D E XIII.

I.

Mireved. particula *mi* praesentem statum denotat. *Sabyb-dilan* subauditur hic interjectio vocantis, *I sabyb dilan*. *Cbudara* potest hoc ad utrumque versum referri, si ad primum referatur, erit *ra*, *barfi tacbis*, si ad secundum, erit particula jurandi. *Derda* cum elit in fine interjectio est dolentis, *heu*, *pro dolor &c.* *derd* namque dolor, *afflictio &c.* *Aequivales* *τὸ* elis litteris *ta* vel *vau* arabicis nominibus praefixis. *Aschikaria* & *ascbikiare*, & *ascbikiar* ejusdem sunt significationis, *Propalatus*, *divulgatus*.

2. *Kesebti-nisebtekkian*, vocabulum compositum ex *navis* & *sedeo*, cur sit *kias* ante *an* terminationem pluralis, jam alias dictum est. *Sebæta* inquit Sudius, in lexicis, quæ ad manum habemus, non reperitur hoc vocabulum, in phrasi tamen communi est *ventus secundus*, & *favens*. *Niamet-ullab* habet pro *favens* & *secundus*, sed nihil de vento meminit. Meninszky legit *sebura* & itidem per *favens* effert, additque *badi sebura*, *ventus navigationi favens*. *Berebyz*, *surge*, id est *spira*. *Baz* potest hic significare, *rursum*, & simpliciter etiam amplificationem, ut jam alias dictum. *Ascbina* *notus*, *familiaris*, & *hic amicus*, *amatus*. *Turpiter errat Sururins*, ait Sudius, qui *kesebti-nisebte*, *navis hærens*, legit *kesebti-sebikesse* id est *navis fracta*, & revera verbum fregit, quod vel inde patet, quia naufragi nullam venti secundi utilitatem percipiunt, cum contra ii, quorum navis in *wadum* impegit, *vento* ex adversa parte spirante, ex arena emerger possint. Hæc Sudius.

3. *Razze*, in hac voce *τὸ bai-resmi* putant nonnulli quantitatem exprimere, uti in *sek-sale*, quod est anni unius quantitas, alii *mastari* notam esse assertunt, & efferunt hoc per *annus*, ille per *diurnus*. *Mibr πολυσήμετον*, *sol*, *amor*, *amicitia &c.* hic per *teriki ibam*, *favor*, *fortuna &c.* *Efiane* & *Fisane*, idem quod arabicum *asture*, *fabula*, *historia fabulosa*, hinc notum illud: *Esatyr-ül-evelin* h, e. *mendacissimi antiquorum*. *Efian* duas habet significationes, & primo quidem est: *fraus*, *dolus*, *defnde verba illa*, quæ *zagrotorum auribus infusurantur*, *arabice Rukjet*, quod est, *incantatio*, *magia*, *amuletum*, *oratio medica*, *supersticio &c.* *Be giae Jaran*, he est *barfi-style*. *τὸ giae πλεοναγκῶς* positum, nam idem fuisset simpliciter *be jaran*. Si tamen *giani* pro *Hakk* accipiatur, i. e. pro *erga*, *respetu*, *ratione &c.* tum *ba* erit ob *Zarfies*. Nota *τὸ giae simili-hus*

bus in locis usurpare proprium esse Schirazensibus, utpote pecuniam lingua idiotismum, ut in illo giswifiani: *Tu be gaias pedes et kerdi.* Nota etiam ceschm hic esse pro ümid spes, & elif ultimum in Jara pro interjectione vocandi. O, heus &c.

4. Monet Sudius τὸ ḡbalka & usitatus Halka circulus, proprio de hominum corona dici, quando vero annulum & circulum significat Halaka pronunciari. *Mil* vinum. *Duscb.* hesterna nocte. *Hais* est particula, quam vocant esmai-esca, cuius singularis est pro plurali; hinc in nonnullis codicibus scribitur *batsu* cum vau & elif, sed hoc non requiritur; significat, da, cedo &c. *Haiju* para, appara, in aliis exemplaribus pro base reperitur fate mortuus est, extintus est. Similiter pro *baiju* *babbu*, quorum primum significat: parate, præparate, alterum, evigilate, expurgescimini, id est vigilantes & attenti estoate. Pariter si *base* vel *batsu* legatur, *sabab* erit accusativus, at si *fate* erit nominativus. Est autem *sabab* vinum matutino tempore bibi solitum, sive ad potum matutinum servatum, namque ex potatorum sententia ebrietas pridiana, hausto mane moderate vino sedatur. Similiter *gbabak* est vinum diluculo vespertino bibi solitum, atque hec & similia vocabula libertatem linguæ arabicæ ejusque κυριολεξίαν vel maxime probant. *Sekkari plur.* *sekkeri*. cum *fin* fathato, signif. ebrii, licet tamen etiam cum *zamma* legere. Sudius scribit τὸ *sukkari* per ja, alii mors per farum cum elif. Secundus hujus distichi versus totus est arabice.

5. *Veseb* est adverbium vel potius particula similitudinis, ut turicum *kibi*, instar. *selebi* *veseb* est: *res acerba simili*, id est vinum. *Umm-ül-chabais* est vini metonymia. *Umm* est mater. *Chabais* autem Sudius pluralem esse dicit τὸ *chabis* impurus, malus, turpis. Sed nescio an hac vice memoria lapsus non sit, cum potius plur. τὸ *chabis* sit *chabesa*, *chabais* autem pluralis sit τὸ *chabis*. *Sebin* in *chabais* ad *selebi* *veseb* refertur. *Eschba* est *lm - üt - iafzil* τὸ *scbebi* sive comparativus, & signif. desiderabilior, gratior &c. *lens nobis, abla* itidem comparativus τὸ *batty* dulcis. *Kukles* est osculum non osculari, ut vult interpres, qui in hoc substantivum a verbo non discrevit, nam osculari est *takbil*, *azara* & *azari*; & *azarat* plurales sunt τὸ *azra*. potest autem pluralis iste cum *fatha*, vel cum *kesra* τὸ *ra* efferri, hic tamen requiritur *fatha*, immo tetiam necesse est hoc loco ja per elif scribi, ut usui persico respondeat; Persogenium vocabula arabica quæ

que pronunciationem τῆς εἰς sub specie τῆς γὰς involvunt, per εἰς scribunt. sic in Musa, Ysa, Mustapha &c. quando autem μα-κιβλ τῆς γὰς kesratum fuerit, kesre mutant in fatha, ut in temenna &c. Hinc alter interpres qui dicit azara cum εἰς in fine erroneam esse scripturam, veram scribendi rationem ignorat.

6. Μῦλκος cum dhamma, Regnum & Imperium, at cum kesra, bona, opes &c. reliqua vide in notis ad paraph.

7. Τενκι-δεψ ad verbum, qui manibus angustis & debilibus praeditus est, translate autem inops, egenus. γὰς est μαστάρι, ut & in μεστί. κίν contract. ex κί, & in κέμια chemya, ars metalli transformandi, & in aurum convertendi. Ars est, ait Sudius, nomine tantum nota, re ipsa ignota, ut Gryphus &c. Ηεψ substantia, existentia. γὰς est μαστάρι. de Carteno vide notas ad paraph.

8. Ασησχ quies, tranquillitas. ab ασαΐδεν est Ισμί μαστάρ. qui ab ασύδεν derivari dicit, inquit Sudius, Ισμί μαστάρ, ab ipso mastaro non distinxit.

9. In νικνάμι γὰς est nominale, est haec vox composita ex νικ bonus, & name nomen, fama. Κίζερ transitus, Καζα πολυσήμαντος, hic decretum & judicium Dei. τὰ est edat-mefuso.

10. Νερά' & νύρα itidem πολυσήμαντος, nempe ordo, constitutio, status, modus &c. significat etiam opes, facultates, viatum &c. ut hic. Sudius dicit per Derviseb seu pauperem intelligi amatorem, & per σαβύβι κεραμες, Hasanum καναδ-διν.

11. Παρσὶ & Φαρσὶ idem nec raro p. & f. confunduntur apud Persas ob harum litterarum affinitatem, ut in sifid & sifid. Παρσι-κος vox composita, significat: persice loquens, antea fuit κύγενδει-παρσι. Bachschendekian plur. τᾶς bachschende de κιαφ in plurali interserto jam supra dictum. In οννρεν ultimum ναν & δαλ tertiam personam plur. verbi sum constituit, que sepe enclitica est apud Persas, hic refertur ed bachschende, ac si esset bachschende end. Bischaret bonum nuntium, evangelium. γὰς in fine, est γαι vabdet, vel etiam τενκιρ. Parfa hoc loco idem quod Abid Religiosus Deo devotus, monachus &c.

12. Serkeseb proprie qui caput subtrahit, & hinc contumax, pervicax. Τα secundum in ghajetet ad besuzed refertur, ac si esset besuzeted. Cbara turc. Kara tasch filex. dicitur etiam chare cum bai-resmi.

13. Notat Sudius ad hunc versum, septem ghazelæ hujus Rophas, nativam & propriam ἰστονατίληξην, (καστ) continere, reli-

reliquas factitiam tantum; ad priores referuntur: *Dara*, *müda-*
ra, *azara*, *ebara* &c. in quibus *kafie* purum est, reliqua ut
jara factitia sunt & litterarum primitivæ voci affixarunt additio-
ne fiunt, nam hic elis interjectionis: O, heus, vim habet, in
ebudara & *kedara* similiter *ra* casus est terminatio, & sic in
reliquis. De natura & differentia simili-er-definentium prolixo
agit Sudius hoc loco, quem qui volet, consulat.

O D E XIV.

I.

Ei, subanditur *hic münadi*, id est *ei giana*. *Fürugh* splendor.
E mab & *meh* Luna, *ebuſn* pulchritudo. *Rui* & *ru* facies,
vultus. Persæ similia vocabula cum *ja* & sine *ja* ad libitum
scribunt. vide supra. *Racbschan* adject. a verbo *Racbschiden*
fulgeo, radio. *Schiima* vos. nota hic pluralem esse pro singulari.
Abru ad litteram aqua, vultus, sed translate honor, decus. *ebub*
pulcher. *ja* hic est *barfi-masjar*. *Ciab* puteus, sed hic sovea
menti. *Zenacb* & *Zenachian* hic mentum.

2. *Debed* a debiden, quod & *dascbren* usitatus. *Ksi* ubi
& quando, *deſt* manus, *deſt* *debed* turcice *el-verlir*, contingit,
licebit, accidet. *Gharas* hic desiderium, votum, voluntas &c.
Homdeſtan particula hem in compositis conjunctionem &
conſortium exprimit, ut apud Turcas *tò dascb* in *joldascb* &c.
Ja-rebb bone Deus! sed Sudius dicit in similibus locis pro *ageba*
poni, quod est proh, num, anne &c. *deſtan* contractum ex
ciſitan h. e. apolodus, fabula, adeoque *bemdeſtan* quasi con-
fabulator, & hinc pro conjunctus, coincidens. *Schevend* 3.
p. pl. *muzarii* a *scheviden* vibratus scuden fieri, esse. *Cbatyr*.
proprie est animi dispositio, & quod animo accidit, tum pro
ipso animo acceptum est, per figuram *zikri bal ve iradei ma-*
bal. *Ziilf*. crines, capilli ab aure propenduli. *Perischan* di-
ſpersus, confusus.

3. *Didar* etiam *dizar*. (apud Persas enim littere *dal* & *zal*
frequenter permuntantur) est *vafsi-terkibi*. & primo fuit: *aren-*
dei didar. hic pro vultu, ac facie sumitur ut plerunque. *Ame-*
de species præteriti temporis, quod duobus versibus probat Sudius,
& maxime Asaphi poetæ testimonio, atque adeo errant,
qui putant esse *Ismi masul*, sive participium passivum, uti &
Sururius, qui dicit esse *balije*. *Kerde* a *kerdiden* reverti. in-
dic. pro conjunctivo, hic interrogative possum, revertaturne?
ja an, est *barfi aſf*. arab. ev. *Berajed*. in sensu stricto est:
ascendat, sed hic pro; *exeat*; *Ferzjan* mandatum.

4. *Ja in ebarabi est jai-mastar*, Küned a küniden. *cus* jus alter infinitivus est *karden*. *Dildar* compositum ex *dil* & *dascben* in principio fuit *darendel-dil*. cor tenens, cordis dominus; in similibus locis, formosum, amasium denotat. *ra* est *edati-miful*. *Akeb* contractum ex *akiab* methodo supra dicta, derivatur ab *akiabiden*, quod est neutro aktivum. *Zinbar* cum *jai* siibus five cum *ja* expresso, hic est confirmationis gratia, ut turcicum *Eibette*, nonnunquam *ja* eliditur. *Dusian* pl. *ta* *Dost*, alias *Dolian*.

5. *Danien* & *daman* limbis vestis, arab. *zeil*. *cii* abbreviatum ex *cilinki*. *Bükseri*, & extra versum *Beküzeri*, ab infinitivo *küzeriden*, qui & *küzeschben*; *kenderin* compositum ex tribus vocibus, ex *ki* ex *ender* & ex *in*. *Reb* & *rab*. idem. *sciendum*, quotiescumque occurunt in perficis vocibus *vau* vel *ja*, vel *elis* ante *be*, quod *bai-resmi* vocant, semper posse abbreviari vocabula, elisa intermedia vocali; sic *kub* mons, *keb* idem. *Sebab* *sebeb* &c. *küstebte* occisus, imperfectus, at *keschbe* factus; potest utrumque hic locum habere; Derivatur hoc a *keschben*, quod πολυσήμαντον, verti, reverti, converti, & fieri, reddi, atque hinc pro *inikal* sumitur; significat etiam circumverti & rotare se ut saltantes *Mevlevi*. *Bisjar* arabice *kesfir* multus. *nun* & *dal* est 3. pl. præs. *ta* schuden, resertur ad *keschbe* vel *keschbe*, quomodo sit encliticum, iam supra dictum. *Kurban* in lexicis illud sacrificium esse dicitur, quo Deo vicini sumus, eique conjugimur; sed hic quævis hostia, victima &c.

6. *Kes* hic *kimse* nemo, nullus, alias, aliter. *Devr* & *devran* arab. conversio, sed Persæ pro tempore usurpat. *Äriz* & *aryz*. mala, gena; sed pro hoc in Sudii exemplari est *nerkes* quod est: *flos*, quem, ut ait Sudius, in Rumelia, seu Turcia europea *zerrin* *kædab* nuncupant, quasi poculum aureum; alias narcissus albus & flavus. Poetæ oculos amasiorum eidem assimilant, & simpliciter pro oculis sumunt; arabes *Nerges* vocant; & hi quidem quotiescumque vocabulum aliquod persicum adoptant, *ta* *kiaf agemi* in *gim* convertunt. *Tarf* arab. oculus, sed Persæ pro utilitate & lucro accipiunt, in quo sensu & hic est. *ja* est *jal* vabdet vel etiam *tenkir*. *Äfye* hic continentiam, pudicitiam significat. *N-fruscend*, & extra versum *nefruscend* a *füruschben* quod & *füruebien* vendere. *nun* in initio verborum persicorum negativum est, vel prohibitivum. *Mestan* pl. *ta* *mefi*. hic pro *ceschm* five oculis sumitur; habet autem pluralem modo rationalium, uti & *ceschm* *ceschman*. sorte quia ad hominem pertinet,

7. *Chab somnus & chabiden*. *Alud nomen ab aliud inquinare*. *Chab-alud* epithetum compositum, signif. somno inquinatus, somnolentus &c. *Chabed* scilicet vult esse, sed hic ut & alias species est futuri temporis; immo quotiescumque mazius muzario connectitur, vim habet muzarii mastari, hæc Sudius. *Meker* hic idem quod arabicum *keenne*, achi, quasi. *Zan* abbreviatum ex *ez-an*. *Zed* percusit, sed hic impedit, vel aspergit &c. *Ja* in abi est *jai-vabdet*, vel etiam *tenkir*. Reprehenditur hic Sururius, qui ab cum *ru* conjunxit: quali esset *abi-ru*, decor, honor, quod falsum.

8. *Ba* in *firišiden* est propter *teekid*. *Ruch* proprie gena, hic pro tota facie, per figuram *zikri giuz te iradei küll*. pars pro toto. *Killdeste*, manipulus rosarum. *Buki* abbreviatum ex *budki*, quod est: fiat, utinam fiat.

9. *Omretan* hic *ta* est pronomina affixum secundæ personæ, *an* autem terminatio pluralis *twy zertil-ükul*. Sciendum autem pronomina hujusmodi apud persas pluralia fieri terminatio *etis & nun*, ut *zillestan*, *dieselban*, *dil'man*, tuncque pronominis affixi præcedentem litteram per fatha efferti, et si nonnunquam metri necessitate quiescat. *Bad* a *buden*, frequens ejus usus est in appreciationibus, uti & hic. *B'zm* idem quod *meglis*, confessus, sed apud Poetas plerumque, convivium, symposium &c. *Gem* vide notas ad paraph. *Giam* vulgo pro omni poculo accipitur, proprie tamen est *scyphus* cum pediculo. *Devoran* cum *vau* quiescente, apud Persas pro tempore usurpatur, hic ingeniose & acute ad *Bezm* referuntur.

10. De *cerkian* jam superius. Vide etiam notas ad paraphrasim. In nonnullis Codicibus, pro *kui* *cerkian*, est *kui meidan*, quod etiam apprime convenient. *Hakk* *nascinas*, ingatus, immemor beneficii, idem quod *Kufrani* *nymet*. *Kui* globus.

11. *Bisat* stratum, & res strata, & expansa. *Kurb*, vicinitas. *Himmes*, & *bimmets* synonyma, hic desiderium, votum &c.

12. *Schabinsebab* contractum ex *schabani schab*, quod initio fuit *schabi sebahan*, Rex Regum. *Bilend* & *Belend* synonyma. *Aebtar*, proprie stella, fidus, plerumque tamen pro forte, fortuna, accipitur. *ra* in *chudara* est: *edati-kism* vel etiam *sachfs*. *Ja* in *bimmeti* est *jai-vabdet* vel *tenkir*. *Bafsm* cum *bai-erebi* a *bafiden* osculari. *bem* in *bemeili* est *barfi-teekid*, eii abbreviatum ex *cijin*. *Kerdun* cœlum. & orbis cœlorum, & *cisium*, plaustrum duarum rotarum, & rota fortunæ. *Firan* & *Ivan* idem, thorax discubitorius (*soffa*) sed Persæ cum fatha

τὸς clif legunt pro magno cænaculo, & porticu, atque etiam Palatio sumunt.

13. *Ja in dua & in amin est jai vahdet vel tenkir.* Ruzzi fors, vietus, & substantia sorte enique obveniens. Scheker efficiens epithetum synthonon, id est: Sacharum spargens, fundens, videlicet dulcis, suavis, mellitus. Scheker proprie cum uno k-f scribitur, hic tamen quia longa syllaba requiritur, tesch-did, est additum, alias autem in lingua perfica nullum est tesch-did atque ipsae etiam voces Ferrab eburrem cum uno tantum ra scribi debere, auctor est Sudius. In variis codicibus varie ac diversimode legitur primus versus; in Sudii exemplari est:

*Mikilned Hapbyz dmaji, bischnev amini buku, in aliis
sic:*

*Mikilned Hapbyz dua ü bischnev ü amin büku, in aliis
rursum sic:*

— — — dua ü bischnev vamini büku.



Pag.	Errata	sic	corrigē
XXI.	lin. 6. liberalitem		liberalitatem.
ibid.	l. 9. Tefsiri		Tefsiri.
ibid.	l. 17. finirima		finitima.
XXII.	l. 23. wie		me.
XXXIV.	l. 22. quævis		quævis.
XXXVII.	l. 5. illa		illa.
XLVI.	l. 28. ise psum		se ipsum.
XLVII.	l. 29. numerarum		numerum.
17.	l. 8. Ignota		ig-nota
49.	l. 2. muschikla		muschkilha.
57.	l. 11. hospitio		adde formosorum
60.	l. 5. aghyriajan		aghylajan.
66.	l. 21. Abafidæ		Abafidæ.
71. & 73.	querimonias		querimonias.
72.	l. 20. redarguerunt, nuper		redarguerunt nuper,
75.	l. 17. verum		del. comm.
ibid.	l. 20. fuerit		del. com.
76.	l. 29. imperante, primus		imperante primus.
77.	l. 25. suhtus		subtus.
79.	l. 14. abjice		add. **
81.	l. 23. fungi		fungis.
ibid.	l. 29. kavam-ed-		kavam-eddi.
87.	l. 13. quiete		quieti.
ibid.	l. 28. purpurea		purpureo.
89.	l. 18. pinu		add. &
91.	l. 28. nascentis		nascentis.
93.	l. 24. ec		et
96.	l. 11. perspicacis		perspicaces.
97.	l. 1. canendi		del. com.
ibid.	l. 21. Bobchukri		Be schukri.
100.	l. 20. & sun		del. &.
101.	l. ult. Azark		Azrak.
106.	l. 15. terum		iterum.
121.	l. 22. mi		mei.
134.	l. 21. invicem		in vicem.
ibid.	l. 28. Gezdum		Jezdum.
140.	l. 14. translare		translate.
142.	l. 11. ælimes		ælime.
143.	l. 12. salax		salax.
ibid.	l. 28. dupibus		dapibus.